FdL
15.117
169-8-w.39.783-
262.13
~~31-7.~~
V17 J

15117

IOSEPHI STEPHANI VALENTINI

DOCTORIS THEOLOGI
Canonici & Operarij Eccleſiæ Se-
gobricenſis

DE POTESTATE COACTIVA
quam Romanus Pontifex exercet in ne-
gotia ſæcularia

LIBER PRIMVS

AD SANCTISS. D. N. SIXTVM V.
Pont. Opt. Max.



B
C
BIBLIOTECA

EX AVCTORITATE SVPERIORVM.

SANCTISSIMO D. N.

SIXTO QVINTO

PONT. OPT. MAX.

POllicitus eram multis, Beatiſſime Pater, cùm librum de pedum oſculatione edidiſſem, me de ſatellitio Pontificum aliquid dicturum, vt multos ab ea perſuaſione reuocarẽ, qui negant arma neceſſaria eſſe Pontifici, quibus vel tectus ipſe eſſe poſſit, vel punire improbos, vel vlciſci laceſſitus. In quà re cùm omni mente & cogitatione verſarer, neſcio quo pacto in ſæcularium rerum diſceptationem prolabor, quo mihi propoſitum initio non erat. Quare ſummam quam non ſperabam occaſionem nactus, vt diligenter quidquid ad ſatellitium ſpectabat vno opere includerem; rerum ſæcularium diſputationem a multis quidem deſideratam, a me vero non inconſulto ſuſceptam aggredior. Quam cum animo agitarem, atque multis rationibus exquirerem, tandem ſummam illarum difficultatum breuiter circumſcripſi, quæ noſtris temporibus plurimas atque item graues contentiones pepererunt: quas tribus libris breuiter atque dilucide complexus ſum. In primo enim tredecim capitibus contra Caluinum, Franciſcum Duarenum, & alios recentiores, cogendi poteſtatẽ in Eccleſia Dei reperiri demõſtraui; in altero diffuſius docui,

circa quæ negotia hæc poteſtas vigeret; in tertio nullo pacto illã impediri, aut perturbari poſſe concluſi. Tibi vero, Beatiſſime Pater, noſtri temporis ſingulari præſidio, qui teterrimum alioqui religionis malum, quod clauſum in venis & multarum prouinciarum medullis inſederat, expiaſti: qui nutantem huius ſæculi gubernationem ſuſcepiſti, feſſam denique ac quaſi collapſam diſciplinam numine & dignitate ſeruaſti; hunc primum librum humiliter deuoueo. Difficile quidem opus, & multorum hominum telis obiectum: ſed, ni fallor, certum & ſanctorum Patrum teſtimonijs, & auctoritate roboratum. Cui ſi tua diuina auctoritas acceſſerit, ſuſceptum ſtudiũ, & ad Dei immortalis gloriam inchoatum, vehementiori diſputatione proſequar. Vale, Decimo ſeptimo Kal. Decemb. M. D. LXXXV.

T. S. humillimus ſeruus.

Ioſephus Stephanus Valentinus.

LECTORI.

Licet operis inſcriptio alicui minus elegans uideatur, quia tamen non aliter rei inſtitutum exacte concipi poterat, coactus pene ſum vocem coactiuam titulo operis inſerere, vt auctoritatem, qua Pontifices ſua iura exequuntur, apertius indicarem. Eſt enim poteſtas coactiua vis & facultas, quam magiſtratus in nolentes, ac refractarios exercent, vt eos pœnis ac metu adigant ad iuſſa ſeruanda. Quæ cum in rebus ſpiritualibus quaſi oculis cerneretur, conſentaneum non fuit de ea in cõmuni diſſerere, ne actum, quod aiunt, agere, aut eodem reuolui viderer, quo ſæpe alij reuoluuntur. Quare ſtrictim diſputationem aggreſſus, particulatim ad negotia ſæcularia libri inſtitutum accomodaui, vt certo conſtaret, ex quibus initijs vis hæc originem duceret, quibus præſidijs niteretur, quo etiam pœnarum genere eorum temeritas coerceri poſſet, qui Pontificis iuſſa contemnerent. De qua re cum ſæpe ab ijs dubitatum fuerit, qui diuina & humana ſuo ingenio metiuntur, curaui primum, Ariſtotelis rationẽ ſecutus, rem ipſam ſtatuere, ideſt, demonſtrare apertius hanc poteſtatem in Eccleſia Dei vigere, vt conuiciatoribus omnem dubitandi occaſionem tollerem. Quod plane a poſteriori deducendum non erat, aut ſolis Iuriſconſultorum dictis, quaſi firmiſſimis totius operis radicibus defigendum, quibus valide firmari non poterat. Quare fuit operæprecium ex ſcripturis ſacris, quibus diuina conſilia deteguntur, & ex conciliorum, Patrumq́ auctoritate, qui Spiritus ſancti ſenſum imbiberunt, & hiſtoriarum exemplis, quibus veritas manibus teneri ſolet, multorum hæreticorum captiones diſcutere. In quam rem quidquid in me fuit ingenij, licet exiguum, contuli, vt in verã ſententiã illos adducerẽ, qui hanc poteſtatem a Romanis Pontificibus ſuſtulerunt. Hi vero in duas diſtribuũtur claſſes, alij vafre nimium, & inuerecunde omnia penes reges eſſe contendunt, nihilq́ præter nudas preces ſacerdotibus relinquunt: alij, quibus fortaſſe hoc nimiũ callidum, multa quidem ſacerdotibus concedũt, ſed ea ex proprio ſacerdotali munere nõ concedunt, ſed Principum ſæcularium auctoritate & imperio: quos omnes toto hoc

primo libro ſatis diffuſe impugno, vt de huius rei veritate explora tius iudicetur. Quod dũ facio, multa ab origine, vt aiunt, vltima, repetenda fuere, de primatu Pontificis, multa de eccleſiæ auctoritate & imperio aduerſus reges & regna, multa de vtriuſque gladij poteſtate. Addidi præterea, vt deterrerem illos, qui abſque au ctoritate Apoſtolicæ ſedis, bona eccleſiæ & eius diuitias, fortaſſe hæ reticorum hortatu inuadunt & diuellunt, varia exempla, vt inde immunitas eccleſiæ conſtare poſſet. Quantum vero hoc opere confecerim, alij diiudicent: certe me maxime multa ex patribus græcis ac latinis, quæ nondum edita fuerant, collegiſſe, non inficior. Nec me latet, licet à multis hoc opus diligenter expenſum fuerit, nondum tamen ſatis in tanta auctorum varietate & rerum magnitudine maturuiſſe, vt ſæpe fieri ſolet, in his præſertim diſputationibus, quæ ſententiarum & rerum pondere laborant. Sed cum ſtatuam huic primo libro quaſi diſputationis capiti reliquum corpus adiungere, non imprudenter feciſſe me arbitror, ſi nunc primũ ſpecimen totius diſputationis præbuerim, vt inde animos multorũ explorarẽ, atque conſilium caperẽ quæ in aliis duobus libris opportune dicenda, quæue omittenda forent. Hortatũ tamen velim lectorem, vt eo animo hæc noſtra ſtudia legat, quo impolitæ ac rudes picturæ conſpici ſolent: quæ licet oculos minus delectẽt, ſæpe tamen rudioribus lineamentis quibus adumbrantur, ad rei veritatẽ ſpectatorum animos traducunt. Vale.

INDEX

INDEX LIBRORVM QVIBVS PASSIM VTITVR HVIVS OPERIS AVCTOR AD ALIQVID CONFIRMANDVM VEL EVERTENDVM.

A

AElius Spartianus Pag. 10.81.98
Æneas Siluius. 90
Ælianus. 156
Achatius Meliten ſis. 36
Ado Treuerenſis. 103
Aimoinius. 147
Alexander de Hales, 46
Alphonſus Aluarez. 149
Ammianus Marcellinus. 34
Ambroſius. 11.23. 112
Anaſtaſius Synaites. 16
Anaſtaſius Nicænus, 84
Anſelmus. 58.63
Angelomus Monachus. 47
Andreas Maſius. 96
Andreas Cæſarienſis. M.S. 18
Antonius Auguſtinus. 97. 106
Andreas Alciatus. 105.107
Anianus. I.C. 190
Annales Colonienſes. 142
Annales Regum Aragonũ. 143
Apuleius. 188
Apollinaris M.S. 146
Apollinaris epiſtola. 204
Appianus Alexandrinus. 9
Aquilas Ponticus. 96
Arnobius. 11.22
Arethas Cappadociæ. 12.19.
Ariſtoteles. 2.108.132
Ariſtides. 34
Aſconius Pedianus. 179
Athanaſius Antiochenꝰ. M.S. 72
Athanaſius Alexãdrinus. 28.113
Athenagoras. 144
Auguſtinus. 23.85
Auguſtinus Eugubinus. 9
Auſonius Gallus. 71
Aurelianus. 77
Aulus Gellius. 101.158

B

Biblia Sacra.
Baſilius magnꝰ. 7.12.63.164
Baſilius Acridinus M.S. 70.74
Baptiſtæ Corij annales. 99
Beda. 88
Benedicti regula, 207
Bernardus. 8.46.87
Benno Cardinalis. 185
Berengoſius Abbas. 92
Bembus Cardinalis. 108
Bonifacius viij. 88
Braulio Cæſarauguſtanus. M.S. 72
Bruno. 58
Burchardus. 169

C

Caietanus. 57.84.132
Canones Apoſtolici. 63.188

Caſ-

Caſſiodorus. 81.166.169
Catalogus Electorum. 78
Calendarium Græcorum. 79
Catena græca in Pſalmos M. S. 8
Catenæ variæ. M. S. B. V. 62
Cæleſtini Papę epiſtola. 194
Chaldęa paraphraſis. 39
Clemens Alexādrinus. 6.20.55
Clemēs Romanus. 34.121.162
Chryſoſtomus. 8.127.177
Concilium Epheſinum. 8.97.109.139
Codex Theodoſianus. 105.134
Codex Iuſtiniani.
Complutenſis editio. 58
Cor. Tacitus. 3.11.81.95
Conrardus Vechenus. 125
Cyprianus. 3.8.11.112
Cyrillus Alexan. 6.10.19.89
Cyrillus Hieroſolymitanus. 7

D

Decretum & Decretale Pontificum.
Dion Chryſoſtomus. 109
Dion Caſius. 128
Dionyſius Carthuſianus. 57
Dionyſius Srrongilius. 76
Dionyſius Halicarnaſſęus. 155
Diodorus Siculus. 157
Diadochus. 164
Driedo. 131
Didacus Couartuuias. 92
Dominicus. 207

E

Ecphantes Pythagoricus. 2
Epiphanius. 52
Ephręm. 89
Epiſtola orientalium. 44
Euthymius. 8.162
Euſebius. 28
Engelbertus abbas. 36
Eutropius. 182

F

Franciſcus Turrianus. 185
Franciſcus Duarenus. 92.108
Ferrandus Carthaginienſis. 104. 181
Fortunatus presbyter. 140
Feſtus Pompeius. 158

G

Ganeius. 57
Georgius Cedrenus. 122
Georgius Caſſander. 106
Georgius Pachimerus. 152
Gennadius. 53
Gloſſarium. 5.85.95
Gregorius Nyſſenus. 44.166
Gregorius Nazianzenus. 8.12.117. 134
Gregorius Papa. 47.67.73.90
Gregorius Turonenſis. 142.169
Gregorius Toloſanus. 149
Gregorius Taumaturgus. 166
Guiliermus Tyrius. 100
Guiliermus Genebrardus. 9
Guirmundus Auerſanus. 47
Guntherus Ligurinus. 191

H

Hadriani iiij. epiſtola. 175
Harmenopolus. 65.182
Heſychius. 48
Hermas Lematius. 165
Helias Turonenſis. 168
Her-

Hermoldus. 107.115.174
Henrici iiij. epiſtolæ. 91. 178
Hildebertus. 88
Hildegrandis. 46
Hieronymus. 10.41.121
Hilarius. 21.83.132.184
Hieronymus Vida. 50
Hieronymus Zurita. 143
Hincmarus Rhemenſis. 141
Hippolytus Portuenſis. 4.36
Hippolytus Martyr de vitis Apoſtolorum. M.S. 72
Hoſtienſis. 208

I

Iacobus Arabs. M.S. 72
Iacobus Cuiacius. 105
Iacobus Durantius. 103
Iacobus Feudardenſius. 73
Idacius Clarus. 44
Ignatius. 106. 170
Innocentius iij. 46.77
Ioannes Quintinus. 185
Ioannes Climax. 201
Ioannes Gilottus. 191
Ioannes Stobæus. 111
Ioannes Tuſculanus. 110
Ioannes Lupus. 134. 179
Ioannes Leſlæus. 142
Ioſephus Iudæus. 95.160
Ioannes Caſſianus. 41
Ioannes Gerſon. 36
Ioannes Belettus. 72
Iſidorus Hiſpalenſis. 72. 101
Iſidorus Peluſiota. M.S. 122. 148. 173
Iſchirion. 133
Iſocratis epiſtolæ. 101.192
Iulius Solinus. 29
Iulius Cæſar. 156
Iulius Frontinus. 105
Iuliani Anteceſſoris Nouellæ. 106. 186
Iulianus Imperator. 98.100
Iuſtiniani Nouellæ. 51.64.172
Ius Orientale. 79. 142
Iuuencus. 83
Iulius Clarus. 145
Iuo Carnutenſis. 90. 136

L

LActantius Firmianus. 42.50
LAlexis Pauli. M.S. 36
Leo Papa 1. 74.90
Leonicus Chalcondylas. 175
Leonis Sapientis Oratio. 86
Leonis Imperatoris Nouellæ. 64
Leges Vuiſigothorum. 101.171
Liberati Breuiarium. 113
Libanius. 119
Lucius Florus. 50
Lucas Burgenſis. 58
Lucifer Caleritanus. 11.125
Luitprandus. 78.148

M

MAcharius Ægyptius. 80.81
Manuel Malaxus. 78
Macrobius. 132
Martialis. 101
Martianus Rhetor. 95
Martinus Polonus. 72
Martinus Aiala. 202
Matthæus Blaſtares. M.S. 76.79
M.T. Cicero. 156.179
Methodius. M.S. 8
Menander. 156
Molanus. 131

N

NEnianus Vincetus. 112
Nicetas Serronius. 21

Nice-

Nicetas Coniates. 152
Nicephorus in Pſalmos. M. S. 8. 47
Nicephorus Calliſtus. 50.109
Nicephorus Patriacha. 74
Nicephorus Gregora. 79.152
Nicolaus Lyranus. 58
Nicolai I. Conſultationes. 194
Nicolaus Presbyter. 53
Notationes Græcę in Pſalmos. M.S. 8
Notationes in Decretum. 141
Nonnus Panopolites. 5.76

O

Oecumenius. 57.120
Oleaſter. 168
Optatus Mileuitatus. 35
Otho Friſingenſis. 36.48.99
Origenes. 8.12.113.120.129
Ordo Romanus. 77
Ordo Cathedrarum. M. S. 72
Oſij Cordubenſis epiſtola. 139

P

Paulinus Nolanus. 52
Paulus Diaconus. 142
Paſchalis Papę epiſt. 125
Paulus Oroſius. 29
Paulus Æmilius. 100
Paulus Oberſtein. 185
Paulus Iouius. 90
Pacianus. 89.197
Petrus Paludanus. 22
Petrus Bertrandus. 126
Petrus Bleſſenſis. 46
Petrus Damianus. 165
Petrus Lombardus. 57
Petronius Arbiter. 96
Petrus Vrbeuetanus. 106
Philaſtrius. 22
Photius 60.194
Philippus Presbyter 69
Philo Iudæus. 102.161
Plato 192
Plutarchus. 29.132
Plinius. 132.157
Polydorus Virgilius. 90
Primaſius. 12.14.15.23
Pinytus Cretenſis. 6
Priſcianus. 115
Procopius. 119.161
Proſper Aquitanię. 34.72.90
Prudentius. 136

Q

Quinctilianus. 11

R

Rabanus. 77
Radeuicus. 91
Rab. Solomon. 96
Rhenatus Chopinus. 51.108
Regeſtum Car. Aragoniæ. M. S. 102
Reginaldus Polus. 108
Rodericus Toletanus. 147
Robertus Gaguinus. 100.209
Ruffinus. 8.22

S

Saluianus. 51
Sanctes Paninus. 97
Sedulius. 64.66.83
Seneca. 101
Seruius Grammaticus. 158
Septuaginta interpretes. 13
Seuerus Sulpitius. 52
Sixtus Senenſis. 161
Sma-

Smaragdus Abbas. 45
Socrates hiſtoricus. 105
Sozomenus. 105.155
Sophronius Hieroſolymitanus. M.S. 70
Sophronij pratum ſpirituale. 204
Soſipater. 192
Strabo. 9
Stephanus Forcatulus. 156
Suidas. 140.168
Sulpitius Victor. 55
Suetonius. 29.128
Surij vitæ. 49.78
Symeon Theſſalonicenſis. 14
Synodus Nicæna. 2
Sybilla. 49
Syra editio. 57
Symmachus Papa. 137
Symmachus. V.C. 143
Synodus Mileuitana. 147
Synodus quarta Toletana. 147
Syneſius. 167

T

TAurus Philoſophus. 192
Tertullianus. 10.15.41.89
Theophilus Alexandrinus. M. S.4. 167
Theophanes Nicænus.M.S. 6
Theophilactus. 8.18
Theodoritus. 8.25.103
Theophraſtus. 20
Theophilus. I.C. 188
Theodotus Ancyranus. 44
Thomas Aquinas. 78.90
Theodorus Balſamon. 65.79
Thomas Morus. 157
Theophilus Abbas. 92
Theodoſij Imp. edictum. 97
Theodotus Cyrus.M.S. 128
Theodolus Presbyter. 144
Theodorus Heraclienſis. M. S. 162
Theodoritus Scutatorius. M.S. 165
Trithemij Chronicon. 209
T.Liuius. 50. 101
Tucydides. 115

V

VAl. Maximus. 109.158
Valentiniani Nouella. 189
Vatablus. 79
Vgo Carrenſis. 58
Victor Antiochenus. 25
Victor Vticenſis. 71.113
Victorinus Pitabiouenſis. 21
Virgilius. 158
Vitruuius. 55.82
Vlpianus in Demoſthenem. 10
Vlpiani fragmenta. 188
Vrbani 11 .epiſtola. M.S. 147

X

XEnophon. 12.156

Z

ZOnaras. 8.79
Zenonis Imperatoris enoticon. M. S. 51

Cap 1. Quod in ſupremo Eccleſiæ magiſtratu poteſtas exiſtat, qua inobedientes coerceri poßint. Pag. 1

Cap. 2. Petro toti Eccleſiæ præpoſito, coercendi poteſtatem à Chriſto domino impoſitam. 3

Cap. 3. Virgam ferream, quam à Patre Chriſtus accepit, Eccleſiæ præpoſitis fuiſſe collatam, vt maximum ius poteſtatemq́ haberent iudicandi. 16

Cap. 4 Ex Michææ prophetia conſtare regiã in Eccleſia eſſe potentiam, a qua non ſolum ſubditæ gentium nationes coerceri, ſed etiam, ſi earum labantur regna, fulciri poßint. 24

Cap. 5. Omnes principatus & mundi regna ob Eccleſiæ contemptum ſubuertuntur. 37

Cap. 6. Apoſtolos eam poteſtatẽ aſſecutos, qua pro temporum opportunitate ſubditos populos cogerent. 54

Cap. 7. Pauli tantam fuiſſe poteſtatem, vt non ſolum ſeruum retinere; ſed etiam temporales pœnas transgreſſoribus poſſet imponere. 61

Cap. 8. Petrum non ſolum ſupra totum orbem auctoritatem accepiſſe, ſed etiam vtriuſq́ gladij poteſtatem aſſecutum. 68

Cap. 9. Petri ſucceſſorem iure ob ſui corporis cuſtodiam, Eccleſiæq́ præſidium, ſatellitio militum ſtipari poſſe. 98

Cap. 10. Petrum 1. epiſtola cap. 5: dominatum Epiſcoporum, non tamen poteſtatem ſuſtuliße. 115

Cap. 11. Epiſcopos non debere in munere epiſcopali, ſæcularibus principibus ſubijci, nec tributa, nec vectigalia rerum eccleſiaſticarum perſoluere, ex varijs ſanctorum teſtimonijs comprobatur. 123

Cap. 12. Epiſcopos in res temporales iurisdictionem & poteſtatem habere, ſecus ac a noſtris recentioribus iudicatum ſit. 153

Cap. 13. Quæ ſint animaduerſionũ genera, quæ ab eccleſia exerceri poßint. 191

IOSEPHI

IOSEPHI STEPHANI VALENTINI

DOCTORIS THEOLOGI Canonici, & Operarij Eccleſiæ Segobricenſis

DE POTESTATE COACTIVA quam Romanus Pontifex exercet in negotia ſæcularia

LIBER I.

CAP. I.

Quod in ſupremo Eccleſiæ magiſtratu poteſtas exiſtat, qua inobedientes coerceri poſſint.

SVMMARIVM.

1 *Quæ ab Ariſtotele perfecta Reſpublica cenſeatur.*
2 *In Eccleſia Catholica omnium rerum ſufficientiam reperiri.*
3 *Cum Dei ſacerdotibus non obtemperatur, maximæ in Eccleſia perturbationes excitari ſolent.*
4 *In Eccleſia ſupremum debere eſſe magiſtratum, qui inobedientes coercere poſſit.*

1 EO hominum conatus feruntur, vt ſemper omnium laborum perfugium & iniuriarum leuamentum quærant; quo vel calamitatum ſæuitiam temperent, vel vitā in pace & otio traducant. Vtrumque, nullus hominū ſolus ipſe per ſe cō-

ſequi potuit, neq; ad iniurias depellendas ſatis quiſq; virium habuit, cum vix plures alicuius priuati hominis ſubſidio, graue aliquod ſuæ vitæ diſcrimen effugerint. Quare vt omnibus adiumento foret humanum ingenium acre & ad omnia paratiſſimum, natura quaſi duce, vrbes & reſpublicas inſtituit, in quibus dum publicę vtilitati conſulitur, priuatis etiam commodis conſuleretur. Inter quas cũ ſit multiplex conſtitutio & forma diuerſa, ea tamen optima ac prȩſtantiſſima ab Ariſtotele 1. Politicę cap. 2. & 3. adiudicata eſt, quæ αὐτάρκειαν, ideſt, in rebus omnibus ſufficientiam, & maxima vitę noſtræ pręſidia contineret; in qua omnia ciuilia vigerent officia, & magiſtratus publica auctoritate præſcriberent, recta vtilia & coniuncta cum legibus.

2 Sed cum Eccleſia catholica, quam non humanum excogitauit, aut inſtituit ingenium, ſed dominus noſter Ieſus Chriſtus (pro qua ſe ipſum tradidit, atq; omnibus vitę periculis expoſuit, vt illã ſanctificaret, & ſibi glorioſam & immaculatam exhiberet) ſit non modo ab auctore, verum etiam a cęleſti conuerſatione ſeu πολιτεύματος, vt loquitur Paulus, ideſt, municipatu, vt ait Hieronym. & reipub. inſtitutione gubernationeq;, omniũ prȩſtãtiſſima (digne.n. Chriſti Euangelio πολιτεύεσθε, ideſt, conuerſari, apud Paulũ ad Philippen. 4. iuxta pręſcriptã reipub. chriſtianę formã res gerere, vel ciuiliter viuere ſignificat) decuit profecto Eccleſiam præſtantiſſima gubernandi forma, vt diuinarũ legum præſidijs, & magiſtratum auctoritate ſubnixa, proprijs firmiſſimisq; munimentis inſiſteret.

Philip. 3.

In epiſt. Nep.

Etenim quo pacto eſſet ciuibus & pręfectis totius Eccleſię bene conſultum, ſi αὐταρκεία, ideſt, ſufficientia (quæ vt ait Ecphãtes Pythagoricus παρὰ τὸ ἑαυτῷ ἀρκεῖν dicitur, eo quod ſuis viribus nititur, aut ſe ipſa ſubſiſtit) vel ſi in illa exacta rerum gubernatio defuiſſet? ſi princeps ciuibus pro æquo, & bono imperare, ſi legum ſeueritate eos in officio continere, ſi pręmia aut pœnas decernere, ſi vindicare iniurias non poſſet? Ad hæc quis finis rerum gubernanda- 3

Stobæus in ſer. 46.

rum bene beateq; inſtitutus eſſet, ſi in caput reliquæ corporis partes conſpirare, illud ab arce & principatu deijcere, eius dignitatem impugnare, aut deprimere auderent? *Enimuero facile reſpub. perturbatur & in ſeruitium ruit* (vt ſcribit Tacitus) *ſi vis magiſtratus reſoluitur.* Neque enim aliun de hęreſes & ſchiſmata naſcuntur, & totius eccleſiaſtici ordinis fit conuulſio, *quam inde quod ſacerdoti Dei non obtemperatur* (vt ait S. Cyprianus epiſtola ad Cornelium Papam) *& Eccleſiæ præpoſitus ſuperbo tumore contemnitur.* Annal. l. 1.

4 Quare vt eccleſia magno religionis, & fidei præſidio firmaretur, merito ſupremus in ea Chriſti voce inſtitutus eſt princeps, *qui pro Epiſcopatus vigore, & cathedræ auctoritate, poteſtatem haberet qua de tranſgreſſoribus* (vt ait Sanctus Cyprianus ad Rogatianum) *iudicare poſſet*; qui pœnis coerceret rebelles, optimos quoſq; in officio & munere contineret, iniurias in ciues illatas coerceret & repelleret, vt tandem quod virtutis ſtudio effici non poſſet, ſupplicijs vindicaretur.

CAP. II.

Petro toti Eccleſiæ præpoſito coercendi poteſtatem a Chriſto Domino impoſitam.

SVMMARIVM.

1 *Petrus totius ouilis paſtor, alijs artibus agnos, alijs oues paſcere debet.*

2 *Petrus maximam poteſtatem accepit puniendi ſontes & contumaces.*

3 *Chriſto vt homini, imperium regendi in virga ferrea, a Patre delatum.*

4 *Paſcere apud Matthæum cap. 3. & Michæam. 5. præter alias ſignificationes, ſeuere & cum imperio regere, vel publicum magiſtratum gerere ſignificat.*

5 *Paſcere ſubditos in diſciplina, Petro Apoſtolorum Principi maxime conuenit.*

6 *Nullum Apoſtolorum præter Petrum, ab ore Chriſti paſtoris nomen aſſecutum.*

7 *Chriſtus, ex Apocalypſi 19. regit in virga ferrea.*

8 *Virgam ferream neceſſariam eſſe ad impugnandum hoſtes Eccleſiæ.*

9 *Paſcere, apud Michæā cap. 3. deſtruere, vel demoliri ſignificat.*

10 *Nomen Regium fæmori Chriſti inſcriptum, Regiam poteſtatem poſteris communicatam denotat.*

11 *Gladius ſuper fæmur Chriſti idem demonſtrat.*

12 *Eccleſia poteſtatem accepit paſcendi greges in virga ferrea.*

13 *Apoſtoli omnem poteſtatē aſſecuti ſunt, quæ neceſſaria erat gubernationi Eccleſiæ.*

HANC poteſtatem Petrus totius ædificij petra firmiſſima, immò vero Eccleſiæ princeps, munimen, & doctor (vt aiunt S. Hippolytus Portuenſis Epiſcopus lib. de conſummatione mundi, & S. Titus Boſtrenus in Lucam cap. 22.) aſſecutus eſt. Qui cum præcipuus Eccleſiæ Magiſtratus a Chriſto Domino electus, & ipſi προστασία τῶν τῆς οἰκουμένης προβάτων, vt loquitur Theophilus; ideſt, *totius ouilis præfectura* cōmiſſa fuiſſet, nō ſolum poteſtatē paſcēdi vniuerſum gregem obtinuit: ſed etiam ad omne officij munus exacte inſtructus eſt, vt omnibus tam ouibus, quam etiam agnis, pro cuiuſque captu & modo præſcriberet. Enimuero licet Petrus omnium Apoſtolorū vertex ſummo paſcendi munere fungeretur, ipſi tamen alia opera in alendis agnis, alia vero in paſcendis ouibus iniunctā fuit; vt diſparibus rebus, diſpar quoq; adhiberetur & cultus & curatio. Quæ ſane diuerſæ gubernandi artes, quibus mirifice vſus eſt Petrus, diuerſis etiam vocibus à Chriſto Domino expreſſæ ſunt; vt inde aperte conſtaret, aliud ſtudiū erga agnos, aliā vero curam in oues conferendā eſſe. Sed
Ioan. 21. de hac re Chriſtū loquentē audiamus. *βόσκε τὰ ἀρνία μου,* 1

paſce agnos meos, ideſt, *floribus*, (vt interpretatur Nonnus Panopolites) *ale*, tenellum cibum infirmioribus præbe, delicatulos & imbecilles ſenſim ac leniter tracta, verbo cum ſuauitate quadam orationis imbue, exemplo inſtrue & informa, in eoſdem moderatione & benignitate animaduerte: cum debeant rudes & quaſi infantiles animi, primum pietate foueri & deliniri blanditijs, donec cōſtantiam & fidei firmitatem obtineant. Quæ plane ex ipſius verbi proprietate deducuntur. Nam βόσκω, vt Gloſſariū interpretatur, *pabulare, vel pabulatum mittere* ſignificat; & βόσκω, τρέφω, νέμω, σιτίζω, ideſt, *nutrio, alo, veſcor cibo*, tamquā paria verba de eiſdem rebus dici ſolent. Immò etiā apud ſacram ſcripturam, benigna ſuauiſq; cultura, quæ agnos tenellos ac molliculos decet, hac verbi ſignificatione expreſſa eſt. Eſaias cap. 5. vt infirmos pro captu & ingenio imbuendos eſſe demonſtraret, iſta vocis proprietate eſt uſus. *Paſcentur*, inquit, *agni iuxta ordinem ſuum*, & *deſerta in vbertatē verſa, aduenæ comedent*. Paſcentur, inquit, βοσκηθήσονται, ideſt, nutrientur iuxta demenſum & captum, ne diſciplinæ difficultas illos perterreat, aut deſertores faciat. Animi enim infirmi aperta & facili ratione inſtituendi ſunt, vt leuiori via, ſine magno labore, & ſine ulla diffidentia, maturius ad rei ſtatū perduci poſſint. Quod ſatis aperte idē Eſaias cap. 49. ſui ipſius germanus interpres, explicauit. *Super vias*, inquit, *paſcentur*, & *in omnibus planis paſcua eorū*. βοσκηθήσονται, ideſt, aperta & facili ratione inſtituentur, ne deuios anfractus ſecuti, per prçcipitium labantur. Subiungit: *Tunc ponam*, inquit Dominus, *omnes montes meos in viam*, & *ſemitæ meæ exaltabuntur*. Ideſt, ob diſciplinæ dignitatē, ſi quid grauius obſtiterat impedimentū, per Euangelij prædicationem ſublatum erit; directa etiam qua ingrediendum uia, vt iſthuc quò contendimus peruenire poſſimus. Enimuero ne ob diſciplinam & fidei inſtitutionē, infirmi animi deterrerentur, illis Dominus, apud Eſaiā cap. 30. tranquillitatem & vbertatem pollicetur, his verbis. *Et paſcetur in poſſeſſione tua in die illo agnus ſpatioſè*; βοσκηθήσεται,

Super Ioānnem.

θήσονται,ideſt, non in alienis ſedibus,aut paſcuis,ſed in Dei certa & vberrima poſſeſſione nutrientur agni, ſimplices, (vt ait Cyrillus.tom.3.commentariorum in Eſaiam)puſillanimes,& qui mente tarda,& imbecilli ſunt. Hi enim dicuntur primogeniti pauperum,*qui paſcentur*, vt ait Sophonias 3.*& accubabunt,& non erit qui exterreat.* Paſcentur, inquit,νεμήσονται,ideſt,ſuauiſſimo pabulo Dei nutriētur,ſcriptura diuino ſpiritu prodita,quæ tendit maxime ad pietatem:& accubabunt in eccleſia catholica, quæ ouile,immo & domus eſt Chriſti,in qua qui ex animo verſantur,quamuis ſpe aut metu tententur,ſecure tamen & tranquille conquieſcunt.Eamdem plane diſciplinę inſtitutionem Paulus egregius animarũ opilio, 1.ad Corint.3. prę ſcripſit epiſcopis,vt paruulos, ideſt, imbecilles in fide,nõ ſolidiori quidē cibo,ſed *lacte rationali*,ideſt,*elemētis exordijs ſermonũ Dei* (vt ad Hebręos 5. docet)nutrirent;& per omnem ſermonē virtutemq; ſua vbera lacte diſtenta (vt ait Theophanes Nicęnus) haurienda præberent. Qui non debent, vt idem Paulus 2.ad Corint.10. eſt auctor, vltra modum & rudem hominũ cognitionē ſe extēdere,aut diffuſius(vt ait Clemens Alexādrinus lib.7. ſtrom.) ſupra rudē catecheſim,ideſt, inſtitutionē progredi: ſed potius ſeſe ad cuiuſq; ingeniũ captumq; cōponere.Ita enim paulatim fit,vt illi cibo ſolidiori nutriti, in ſpiritualem poſſint proficere ſenectutem. Quod Pinytus Cretenſis in epiſtola ad Dionyſium Corinthiorum epiſcopum demonſtrauit.

In lib. de Sacerdotio M.S.

S.Hieron. de viris illuſt.

Sed bene quidem eccleſiæ prępoſitis,immouero melius ipſis ſubditis conſultum eſſet, ſi ita ſe ſubditi gererent, vt nunquam magiſtratus iuſta imperia recuſarent. At vero cũ temporum iniuria, multi audacter Chriſti inſtitutis obſiſtant,eiſq; temere ſe opponant; tunc quidem in eos leui animaduerſione vtendũ nõ eſt:ſed potius omiſſo pauliſper humanitatis & benignitatis ſtudio,ab eccleſiæ magiſtratibus eo cum imperio ſceleſti homines coerceri debēt, quouſque tandem metu & pœnæ grauitate in officio contineri poſſint. Quam auctoritatem, ne aliquid eccleſiæ defuiſ- 2

ſet,

ſet, Chriſtus Petro apoſtolorum principi, & cælorum regni clauigero (vt ait S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 17.) contulit his verbis. ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. *Paſce oues meas*, ideſt, firmiores, & robuſtiores guberna, vt S. Baſilius in Eſa. cap. 5. interpretatus eſt. Gubernatio vero abſq; diſciplina, & punitione eſſe non poteſt; vt ex pſal. 77. cõſtat his verbis: *Elegit Dauid ſeruum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ouium, de poſt fœtantes accepit eum: paſcere Iacob ſeruum ſuũ, & Iſrael hæreditatem ſuam. Et pauit eos in innocentia cordis ſui, & in intellectibus manuum ſuarum deduxit eos.* Etenim Dauid, non ſolum in innocentia, ideſt, benignitatis ſtudio, & diligentia paſtorali, pauit gregem: ſed etiã intellectibus manuum ſuarum, ideſt, actionibus prudentia diſpoſitis, virga pedoq; quod manibus geſtabat, vt ait Euthymius, caſtigauit: cũ principis & paſtoris auctoritas, in erudienda puniẽdaq; multitudine maxime appareat. Quod Eccleſiaſticus cap. 18. docuit his verbis. *Qui miſericordiam habet, docet & erudit quaſi paſtor gregem ſuum.* Quem locum aperte ex codice græco interpretari poſſumus: vbi inter præcipua paſtoris munera, mulcta & pœna enumerantur, quæ ſæpe ſubditis debent magiſtratus imponere, vt ſuo diligenter munere fungi poſſint. ἔλεος δὲ κυρίου ἐπὶ πᾶσαν σάρκα ἐλέγχων, καὶ παιδεύων, καὶ διδάσκων, καὶ ἐπιστρέφων, ὡς ποιμὴν τὸ ποίμνιον αὐτοῦ. ideſt, *miſericordia Domini omnes caſtigat, erudit, docet, reducit, vt paſtor gregem ſuum.* Sed hæc ex græca verbi ſignificatione aperte conſtant: nam apud Gloſſarium ποιμαίνω ἐπιανθεοώπον *rego, impero, & ſeuerius coerceo* ſignificat, vt ex varijs locis ſacræ ſcripturæ aperte colligitur. *lxx. interp.*

3 Primum ex pſal. 2. vbi Dauid propheta, vt Dei filiũ, qui ante ſuſceptam carnem nobis imperabat, etiam tũc carne indutum regnum obtinere teſtaretur; immo vero vt quam primum Verbum caro eſt factum, principatum in nos geſſiſſe demonſtraret: ſtatim à Patre regem rerum omnium conſtitutum fuiſſe, oſtendit his verbis. *Poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam* *Pſal. 2.*

termi-

terminos terræ, & reges eos in virga ferrea, & tamquam vas ſi. guli confringes eos. Et quod inde excurrit. Quamquam enim Verbū Patris antea omnibus dominabatur, tamen etiam modo ſecundum humanam naturam (vt ex hoc loco patres Concilij Epheſini docuerunt) Principatum accepit; quo regeret gentes in virga ferrea, & tanquam figuli vaſa confringeret. Huius vero Regni Chriſtum ſecundum humanam naturam, non modo merito redemptionis, ſed etiam dono Patris (vt ait Bernard. lib. 3. de conſideratione) potitum fuiſſe; S. Cyrillus in Ioannem lib. 3. cap. 2. & lib. 11. cap. 15. S. Chryſoſtomus in Matthęum cap. vltimo, Theophilactus in cap. 1. ad Hebręos, Theodoritus, Euthymius, Ruffinus Aquileiēſis in pſalmū 2. Gregorius Theologus, Origenes, Nicephorus in Catena græca pſalmorum, & reliqui omnes patres, quos recenſere longum eſſet, communi conſenſione teſtati ſunt. *In hoc enim Chriſtus mortuus eſt* (vt ait Paulus ad Rom. 14.) *& reſurrexit; vt & viuorū, & mortuorum*, ideſt, corporum, & animarum (vt interpretantur S. Methodius, & S. Cyprianus) *dominetur. Et enim conſtitutus fuit Rex à patre* (vt auctor vetuſtiſſimus explicauit, in notationibus gręcis manuſcriptis huius pſalmi, quæ in Vaticano ſeruantur) *eo tempore, quo multi tyrannidem occupabant; ad quam delendam, Pater omnem poteſtatem contulit filio: Qui ſecundum carnem conſtitutus eſt Rex, non ſolùm ſuper populum Iudæorum, ſed etiam ſuper omnes gentes: quamuis Iudæi ex animi prauitate eum expulerint Regno, nec recipere voluerint, cum ipſe & Rex, et hæres, & gubernator totius orbis à Patre inſtitutus fuiſſet.* Hactenus ibi. Hæc autem vſq; adeo vera ſunt, vt omnes Patres aperte docuerint, Chriſtum tamquam Regem totius orbis, virga ferrea, ideſt, ſceptro rigido, & inuicto Romanorum (vt poſtea docebimus) omnia regere, eiuſque acri uerbere, regna mundi *vaſis figulinis ſimilia* (vt ait Hieremias cap. 19.) cōterere potuiſſe. Enimuero ſolet dominus (vt ait Baſilius in Catena græca pſal. 44.) terrea & lutea uaſa confringere, ad eorum qui regūtur vtilitatem & commodum; quemadmodum etiam nonnullos

Tom. 1. p. 179.

In oratione hypoſtā tes. & in Symboli explicatione.

cap. 4.

los interitu carnis affligere conſueuit, vt tuto illorum ſpiritum ſeruet. Quod plane Ioannes Zonaras tom. 2. in Vitello eleganter explicuit, vbi ex hoc Dauidis teſtimonio, inſignem illam Ioſephi Iudæi contumeliam & audaciam ſingularem compreſſit. Qui vt ſcurriliter Veſpaſiano Imperatori blandiretur (vt ex Appiano Alexandrino lib. 22. colligitur) oraculum illud de Chriſto Meſſia euulgatum, Geneſ. 49. non ad Chriſtum, quem ille diuinum hominem nominat, ſed ad Veſpaſianum Auguſtum impie & impudenter retulit. Cum tamen nunquam imperium Romanorum ſit in extremos orbis terminos propagatum, ſed ſua magnitudine & mole laborās, ad certas Aſiæ regiones, ad Pityuntē vſque, vbi fines ſunt ponti, & ad Britanniam vſque, vt ait Strabo lib. 2. terminatum fuerit. Dauid vero in Chriſti teſtimonio reddendo, accommodatiſſima vſus voce, magiſtratus ſeueritatem, & iudicij acerbitatem demonſtrauit. *ποιμανεῖς*, inquit, hoc eſt, *reget Chriſtus* in virga ferrea, præſcribet, imperabitq; grauitate cenſoria. Quod ex recentioribus Auguſtinus Eugubinus, & Guilliermus Genebrardus in hunc locum pſalmi, ex linguæ hebrææ proprietate, & multorum auctorum teſtimonio comprobarunt.

4 Quam vocis ſignificationem, non ſine inſigni myſterio vſurpauit Chriſtus, cum Petro vicariam curam Dominici gregis imponeret, & illum ſui loco toti orbi præficeret. *ποίμαινε*, *paſce*, inquit Chriſtus, ideſt, rege cum imperio, virga ferrea, quam ego a Patre accepi, inflexibili iuſtitia, omnibus gentibus ac nationibus terra mariq; imperato. Neque enim aliud quicquam *ποίμαινε*, hoc in loco tam accommodate, præter alias interpretationes, quæ eleganter a patribus excogitatæ ſunt, ſignificare videtur: quam principū more præſcribere, aut magiſtratus ritu imperare, vt Matthæus cap. 2. Michææ vſus teſtimonio comprobare viſus eſt. Qui cum Magorum aduentum & tumultuantem Herodis animum retuliſſet, tandem Michææ oraculo, & locum vbi Chriſtus naſciturus erat, & eius poteſtatem expreſſit. *Ex te*, inquit, *exiet dux ποιμανεῖ, qui regat populū meum*

meum Iſrael. Quam vero apte hic locus, hac voce regendi fuerit translatus, ab ipſiſmet ſeptuaginta viris edoctus didici. Qui idem Michææ teſtimoniũ interpretati, illam regendi vocem ita reddiderunt. *Ipſe* inquiũt, *erit dominator in Iſrael*, εἰς ἄρχοντα, hoc eſt, *geret principatum in Iſrael*. Quæ vox magiſtratum, eiuſq; iuriſdictionem ſignificat; vt Tertullianus lib. 4. aduerſus Marcionẽ, exponens locum Exodi 3. accurate expreſſit his verbis: *Quis te inſtituit magiſtrum, & iudicem?* cũ græci legant ἄρχοντα καὶ δικαστὴν, & noſtra vulgata editio actorum 7. *Principem & iudicem* reddiderit. Archondes vero apud Athenienſes, iudiciorum moderatores erãt, eodemq; ferme fungebantur munere, quo Romæ prætores & cõſules, vt auctor eſt Aelius Spartianus in vita Hadriani & Vlpianus in commentarijs Demoſthenis, vbi ſic ait: εἰσὶ δ' ἄρχοντες τῆς βουλῆς οἱ προεστάμενοι, ideſt, *qui toti ſenatui præſunt Archondes dicuntur*. Tertullianus etiam lib. de reſurrectione carnis, & aduerſus Marcionem 3. Magiſtratus & reip. principes Archondes appellauit, vt aperte ex cap. 34. Ezechielis cõprobari poteſt: *Suſcitabo*, inquit Propheta, *paſtorem vnum ſecundum cor meum, Dauid, qui paſcet eas* ποιμανεῖ, ideſt, *qui reget eas*. Quem locum enarrans S. Hieronymus in Oſeæ cap. 1. ἄρχων, ideſt, *Principem unum in medio eorum*, Dauid futurum eſſe interpretatus eſt. Quæ vocis notio ex 2. Regũ 5. & 1. Paralip. 11. conſtat his verbis: *Tu paſces populum meum Iſrael, & tu eris princeps ſuper eum:* vbi ex poſterioribus verbis, priorum ſenſum aperiri ambiget nemo, ſi hunc locum exacte perpendat, quod etiam ex Ezechiel. 37. aperte deducitur. *Seruus*, inquit, *meus Dauid Rex ſuper eos, & paſtor vnus erit omnium eorum*. Ex quibus locis apte colligitur, apud ſcripturã ſacram, paſcere & regere tãquam paria verba vſurpari. Qua de re cum Chriſtus eadẽ vocis ſignificatione in deſignando beato Petro vteretur, merito a S. Cyrillo in Ioannem lib. 2. cap. 64 Petrus princeps, ἄρχων, *caput, & anteſignanus aliorum Apoſtolorum* appellatus eſt; cum ei a Chriſto Domino regendi poteſtas fuiſſet impoſita.

5 Sed huius vocis *ἀρχῆνος*, ſignificatione paululũ omiſſa, vt ex diuerticulo redeamus, paſcere apud Hieremiam cap. 3. graue͂ pœnam imponere, vel ſeuere caſtigare ſignificat. *Dabo*, inquit, *vobis paſtores ſecundũ cor meum, & paſcent paſcẽtes vos, in diſciplina*; ideſt, ſeuera & graui punitione plectent. παιδεία nãq; ſiue diſciplina, ex Paulo ad Hæbreos, 12. *non gaudij, ſed mœroris eſt plena*, vt ex S. Cypriano lib. de diſciplina & habitu virginum, vbi ita hunc locum Hieremię citat, & ex Tertulliano cõtra Valentinum conſtat. Immo vero veteres illos clariſſima linguæ latinæ lumina (Quinctilianum, inquam, lib. 2. cap. 4. Cor. Tacitum lib. 5.) cum pœnæ ſeueritatem ſignificare uolebant, ita locutos arbitror; de qua re ſatis liquet. Hũc vero locum de Romano Pontifice intelligendum eſſe, Lucifer Caleritanus, lib. de non parcendo in Deum delinquentibus, docuit his verbis: *Numquid nam fuerat dignum, non paſtores ſed mercenarios exhibere nos? Petro dicit beato, paſce agnos meos, & iterum, paſce ouiculas meas. et tu veniens lupus, ijs eos qui ſucceſſores extitiſſe inueniuntur beato Petro, vicem gerere mercenariorum; eos quos iam pridẽ per Hieremiã promiſerat populo ſuo dicẽs. et dabo vobis poſtores ſecundum cor meũ, & paſcent vos paſcentes cũ diſciplina.* Sed vt nunc obiter moneam, apud nonnullos latinos codices, in illo loco Ioannis, paſce oues meas, ouiculas meas legitur; quaſi in græco contextu προβάτια legeretur. Quam veterem lectionem agnouit Ambroſius, & Lucifer in hoc loco, licet apud græcos patres eam numquam repererim. Ergo ſi Paſtor eccleſiæ in diſciplina paſcere debet ſubditos, profecto cum Chriſtus Petro paſcendi poteſtatem iniunxit, grauem quoque atque ſeueram magiſtratus perſonã impoſuit, qua omnibus alijs præeſſet, ſubditos regeret, & ſi opus eſſet acri acerboq; iudico ſcęleratos pœnis proſequeretur. *In Lucam.*

6 Quæ omnia hac vna paſcẽdi voce lucide expreſſa sũt: ex qua præcipua dignitas, & præcipuus gradus eccleſiæ, cathedræq; principalitas deducitur ab Arnobio pſal. 137. his verbis: *Nullus Apoſtolorum præter Petrum, a Chriſto Do-*

mino nomē paſtoris accepit: ſolus enim dominus Ieſus Chriſtus dicebat, Ego ſum Paſtor bonus. & itesū, *Me*, inquit, *ſequuntur oues meæ. Hoc ergo nomen ſanctum, & ipſius nominis poteſtatem, poſt reſurrectionem ſuam Petro pœnitenti conceſſit, & negatus, negatori ſuo, hanc quam ſolus habet, tribuit poteſtatem.* Petrus Paludanus in 4. diſt. 24.q.6. hunc locum imitatus, totam iuriſdictionis poteſtatem in fonte datam fuiſſe Petro commemorat; *cum ipſi ſoli totius eccleſiæ cura fuerit commiſſa, ſoli vt paſceret oues dictum; quod nulli Apoſtolorum nec tunc, nec ante, nec poſt dictum fuit.*

Eamdem paſcendi ſignificationem ad verbum expreſſit 7
Ioannes in Apocalypſi, cap.19. Vbi cum Chriſti dominationem, quam in nos habet exercetque demonſtraret; totidem fere verbis, quibus Dauid vſus, eius ſententiam tranſtulit: *De ore*, inquit, *procedet gladius ex vtraque parte acutus, vt in ipſo percutiat gentes, & ipſe reget eas in virga ferrea.* Perpendenda nunc eſt uocis ποιμαίνειν ſignificatio, in qua reddenda proprie locutus eſt interpres. *Ita enim vſus obtinuit* (vt ait Origenes hom.2.in Geneſim) *vt quia præſules gentiū, & populorum magiſtratus, tam apud prophanos, quam apud ſacrā ſcripturam paſtores ſoliti ſunt nuncupari; etiam hæc vox ποιμαίνειν regere, & imperare ſignificet.* Cui ſententiæ B. Baſilius in concione in S. Martyrem Mamantem ſubſcripſit; vbi paſcendi & regendi artes maxime coniunctas, & viciſſim cohærentes docuit. Quod etiam legimus apud Xenophōtem lib.8. vbi Cyrus paſtorum & regum opera, παραπλήσια idest, *connexa atque coniuncta*, appellauit; de qua re plura S. Gregorius Nazianzenus in Apologetico diſſeruit. Ergo Chriſtus primum acutiſſimo prædicationis gladio, eoque ancipiti omnes aggreditur, vt ad ſpiritus & animę ad compagum & medullarum diuiſionem pertingat, tum virga ferrea, ideſt, vel iuſtitiæ immutabili rectitudine (vt ait Primaſius lib. 5. in Apocalypſim.) vel regia auctoritate imperat, vt poſſit hoſtium impetum & temeritatem comprimere.

Ad Heb. 4.

Nam quantumuis *licet virga ferrea* (vt ait Arethas Cap- 8
pado-

padociæ epiſcopus huius loci interpres) *proprie ad regendum apta non ſit, ſed potius ad confringendum eos, qui in vita lutei ſunt, & parati vt conterantur; quia tamen regendo pugnandum eſt, & nonnumquam cum ferinis hominibus acriter dimicandum propterea virga ferrea eccleſiæ neceſſaria fuit, quæ aduerſarijs timorem incuteret, perfidis etiam exitium, & interitum afferret.*

9 Quam vero apud ſcripturas ſacras hoc paſcendi verbũ ſit vſitatum ac tritum, ex Michęæ cap. 5. demonſtrare poſſumus. Qui cum calamitatem terræ Aſſur deploraret, eiuſque vrbis vaſtitatem dolentius lamentaretur; tandem inter querelas & voces, illam omni armorum genere, omnique bellico apparatu paſcendam, ideſt, funditus delendam prædixit, his verbis. *Et ſuſcitabimus ſuper eum ſeptem paſtores, & octo primates hominum* (vel vt habent Septuaginta viri *δήγματα*, ideſt, *morſus*, qui tenaciter comprimant) *et paſcent terram Aſſur in gladijs, & terram Nembrod in lanceis.* Quo in loco paſcere, demoliri atq; deuaſtare ſignificat, quod Septuaginta viri ea voce *τάφρῳ*, ideſt, fouea ſiue lacu explicarunt: cum tanta futura eſſet terræ vaſtitas, vt quaſi cuniculis bellicis, munitiſſimæ vrbes eſſent ſolo æquandæ: vel *τάφρῳ*, ideſt, in lacum venationibus deſtinatum, homines tamquam feræ, per ſaltus & lucos errantes, ui & armis adigendi eſſent. Zacharias cap. 11. idem retinens verbum, pecudes occiſioni deſtinatas, ita fore paſcendas, ideſt, occidendas vaticinatus eſt; vt uno menſe, ideſt, breui temporis ſpatio, tres paſtores morte afficiendi eſſent. Eadem etiam vocis proprietas ex lib. Numerorum conſtat his verbis. *Delebit populus meus omnes, qui in noſtris finibus commorantur.* Vbi hebræa lectio, vocem illam, delebit, ita reddidit, *depaſcet, atque euellet eos omnes, qui populi Iſraelis fines occupant.*

10 Sed pergamus vlterius in explicatione Ioannis, qui in eodem loco, vt huius muneris amplitudinem commendaret, ita intulit: *et habet ſuper veſtimentum, & ſuper fœmur ſuũ ſcriptum, Rex regum, & dominus dominantium.* Fœmur poplite genuq; ſuperius, propagationis ſucceſſionem ſignificat,

inde

inde enim generatio noſtra deſcendit, vt ex Gene. cap. 46. & 49. atteſtari poſſum. Quare vt hanc Chriſti auctoritatẽ veluti propagatione (vt ait Primaſius Bizazenæ parœciȩ epiſcopus in hoc loco) & quadam ſpirituali ſucceſſione in eccleſiam deriuari oſtenderet Apoſtolus; merito in fœmore vnde eſt propagationis exordium, regium nomen conſcriptum affirmauit.

Quemadmodum etiam gladius, quo ſuper fœmur accin 11
gitur Chriſtus, potentiſſimas vires ſuis poſteris, ſuæque eccleſiȩ prȩpoſitis, impertiendas ſignificat: cum dominus, ſo leat illos qui vocati ad nuptias venire recuſarũt (vt ait Euſeb. in catena grȩca pſalmorum) morti deſtinare, & immiſ-
Matth. 22 ſis exercitibus, homicidas illos perdere, & illorum ciuitatem igne ſuccendere, vt his profligatis, Chriſtiana religio felicius propagetur. Quod plane fuit in cauſa, quamobrẽ Græci ſacerdotes ſub geniali cingulo (quod ὑπογονάτιον dicitur, cum ad lumbos vſque propendeat) accingantur; vt inde (teſte Symeone Theſſalonicenſi epiſcopo, lib. de templo, ſacerdote, & myſtagogia) hæc Chriſti poteſtas, gladijque auctoritas ſuæ poſteritati collata demonſtretur.

Huc etiam ſpectat illud Dauidis teſtimonium, quo uſus 12
eſt Ioannes cap. 12. cum Chriſti, & eccleſiæ propagationẽ oſtenderet: *Peperit*, inquit, *mulier filium maſculum* (hoc enim nomine Chriſtum appellat) *qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea*. Peperit quidem, ſed nihil effeminatum aut molle, ſed maſculum fortem & virilem, vnũ plane, ſed leonem, vt eſt in parœmijs, qui regat in virga ferrea, & peſſimos quosq; acri & ſeuera animaduerſione caſtiget. Id enim ea vox græca, ποιμαίνειν ῥάβδῳ σιδηρᾷ auſterum ſcilicet animaduerſionis iudicium ſignificat. Quȩ plane poteſtas nõ ſolũ Chriſto ſoli ipſi a Patre collata, ſed etiã præcipuis eccleſiæ viſibilis membris per ipſum communicata fuit; vt ab his Chriſtus indies per fidem & prædicationem, in uniuerſum orbem latiſſime propagaretur. Qua de cauſa merito eccleſia hanc poteſtatẽ a Chriſto dño aſſecuta eſt,

ut in

ut in virga ferrea ſi oporteret, ſubditos gubernare poſſet. Quod teſtatur Primaſius, qui quintæ Synodo interfuit, lib. 3. commentariorum in Apocalypſim his verbis: *Ipſe Chriſtus auctor & conſummator fidei, in quo faciemus virtutẽ, regit in bonis, confringit in malis: quod etiam eius eccleſia, tamquã corpori coaptatur ex capite.* et paulo poſt. *Dicit enim Dominus, data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra; non quam ſemper ipſe habuit, ſed quam in eccleſia ex tempore quo ipſe voluit, tamquam caput in membris habere cœpit.*

13 Habuit quidem eccleſia talem a Chriſto domino poteſtatem, quæ ad eius corporis gubernationem, & integritatem neceſſaria erat; non tamen illam, quæ ad excellentiæ poteſtatem, & ad ſacramẽtorum inſtitutionem ſpectabat; vt vel ex hac ſola re illorum ratio diſſolui facile poſſit, qui ab eccleſia, ea de cauſa poteſtatem gubernandi res temporales adimunt; quia Chriſtus excellentiæ poteſtatem Apoſtolis non contulerit. Fateor quidẽ ea quæ ad eccleſię conſtitutionem, & quaſi totius prima reip. fundamenta, ideſt ſacramentorum inſtitutionem pertinebant, numquam Apoſtolis communicata fuiſſe: cum eccleſia nullis alijs ſacramentis, quam illis, quæ a Chriſto domino inſtituta fuerant, indigeret: nec ipſi Apoſtoli, qui poteſtatem excellentiæ aſſecuti non fuerãt, aliud fundamentũ præter id quod poſitum erat, ponere poſſent. At vero illos, omnes gubernandi artes, quę aliquando futurę erant neceſſariæ ad eccleſię adminiſtrationem latuiſſe, aut minus ad gubernandum inſtructos, aut parum ſimplices a Chriſto domino ad eccleſiæ gubernationem miſſos fuiſſe, affirmabit nemo. Quod Tertullianus in lib. de præſcriptionibus aduerſus hæreticos, cap. 22. & 23. copioſe demõſtrauit. Quo enim pacto omnis *ædificatio conſtructa creſceret in templum Dei*, & totum Chriſti corpus compactum atque connexum (vt ait Apoſtolus ad Epheſ. 4.) *ſecundum omnem incturam ſubminiſtrationis* fieret in domino, niſi Apoſtoli ſummam habuiſſent poteſtatem ſtatuendi neceſſaria, deprauata corrigendi, atque etiam depellendi ea omnia, quæ ędificatio-

ni eccleſię, & eius commodis obſiſterent? Si enim Paulus
Tito diſcipulo emendandi & corrigendi ea quę deerant
in Creta curam impoſuit, fatendum profecto eſt, Apoſto-
los eam poteſtatem vberius aſſecutos, qua omnia ad rectã
reipub. gubernationem referre poſſent. Eſt enim regnum
Chriſti duplex, vt ait S. Anaſtaſius Synaites lib. contra Iu
dęos, alterum θεϊκὸν, ideſt, *diuinum*, in quo regnant om-
nes illi, qui Chriſti pręcepta ſeruant, quod *regale ſacerdotiũ*
nominat Petrus, Lucifer Calaritanus, regnum ſacratiſſi-
mum appellare ſolet. Alterum vero ἀνθρωπικὸν ideſt, *húma-* 1
num dicitur, & ſacerdotibus in eccleſia militanti collatum.
Quod plane cum aliquando aduerſus reges, & principum
conatus ſeipſum obiecerit, merito Chriſtus dominus rex
orbis, & eccleſię caput, temporalem dignitatem, quam do-
no patris acceperat, Apoſtolis contuliſſe dicitur: & illis
etiam qui in hac apoſtolica cathedra per ſucceſſionem ab
initio decurrunt. Vnde ea ratio, quę a nonnullis obijci ſo-
let, vt a pontificibus Romanis temporalem dominationẽ
tollant, parum apud me firmamenti & auctoritatis habet.
Licet enim Chriſtus regia auctoritate abuti non poſſet, &
pontifices vel animi infirmitate, vel alia quacumque ratio-
ne poſſent; non tamen id futurum erat in cauſa, cur ab eis
temporalis poteſtas tolleretur. Alioquin aſſeuerandum eſ-
ſet, cum multi regiam dignitatem in tyrannidem ciuiumq.
perniciem transferant, tantam imperij temporalis magni-
tudinem, qua ſalus hominum firmiſſime nititur, a Deo po
pulis relictam non fuiſſe.

CAP. III.

Virgam ferream, quam a Patre Chriſtus accepit, eccleſię prępoſitis fuiſſe collatam, vt maximum ius poteſtatemque haberent iudicandi.

SVMMARIVM.

1 Iterum idem locus Apocalypſis cap. 2. ex Patrum traditione explicatur.

2 *Ex*

2 *Ex Andrea Cæſarienſi conſtare, poteſtatem regendi in virga ferrea eccleſiæ magiſtratibus collatam.*
3 *Ex Aretha Cappadocia colligi duas in eccleſia virgas.*
4 *Triplex virga Chriſto collata fuit a Patre.*
5 *Ex Gregorij Nazianzeni teſtimonio duas in eccleſia virgas reperiri, vnam quæ plectat, aliam quæ ſecet.*
6 *Eccleſiam vti poſſe virga, vt docet Victorinus, abſque tyrannidis nota.*
7 *Arnobius, imperium eccleſiæ aduerſus reges, ex hoc loco collegit.*
8 *S. Auguſtinus, eamdem virgam ferream, quam Chriſtus obtinuit, eccleſiæ traditam docuit.*
9 *Primaſius idem demonſtrauit.*
10 *Ex ſimilitudine virgæ ferreæ, & vaſorum confractione pœnæ grauitatem oſtendi.*
11 *Cur præceperit Dominus Apoſtolis, ne virgam geſtarent.*

1 POteſtatem, quam Chriſtus obtinuit ac geſſit, ſui loco prępoſitis vicarijs communicatam, indeque in alia capita hierarchica effluxiſſe, idem B. Ioannes Apocalypſis 2. cap. aptiſſimo teſtimonio comprobauit. qui cum eccleſię dominatum maximis cumularet laudibus, ei tamdem ſummo ornamento tribuit, quod virgam ferream, qua rerum omnium potiri poſſit, tamquam bonorum operum pręmium, & victorię publicum munus acceperit. Nam audi quęſo quid ſpiritus dicat eccleſijs, illis ſcilicet, quę in vnitate fidei, & charitatis conſociatione iunguntur, illis, *quibus vna cathedra, & communis epiſcopatus eſt*, vt ait Cyprianus de vnitate eccleſię, illis, *quæ a capite hanc aſſequūtur poteſtatem* (vt ait Primaſius in Apocalypſi, cap. 1.) *ſi ſint in illius vnitate fundatæ. Qui vicerit*, ait Ioannes, *& cuſtodierit vſq; in finē opera mea, dabo illi poteſtatē ſuper gētes*, καὶ ποιμανεῖ ἐν ῥάβδῳ, cap. 2. Apocal. ideſt, *& reget eas in virga ferrea, & tamquam uas figuli confringentur, ſicut & ego accepi a Patre meo.* ſui ipſius victoriam hoc in loco ab eis maxime expetit Chriſtus, qui paſtoris magi

ſtrique munere fungi debent. nimirum vt virtutum & bonorum operum ſtudio, ut ait S. Greg. Nazianzenus Apologetico 1. reliquum vulgus antecellant, ut cum inde pro uirili honeſte verſati fuerint, nauiter ferreām virgam, ideſt, ſummas in eccleſia gubernādi partes ſuſtineant. Sed huius rei gratia grauiſſimos teſtes aduocemus Andream Cæſarienſem, Arethā Cappadociç epiſcopum, Nazianzenum, Victorinum, Arnobium, Auguſtinum, Primaſium, qui cum hūc locum de eccleſię poteſtate interpretati ſint; aperte profitentur uirgam ferream a Chriſto domino magiſtratibus eccleſię ea gratia collatam fuiſſe, ut munus Pontificium omni ex parte explere poſſent.

Qui cuſtodierit uſque in finē opera mea, ideſt, qui ſummam curam & operam in pręceptis domini exacte ſeruandis adhibuerit, hanc poteſtatem aſſequetur. Neque enim ἄχρι, ideſt, uſque, & ἕως ideſt donec, apud ſacram ſcripturam, certam temporis ſignificationem denotant; neque difficillima ſcripturę loca (ut docet Theophilactus actorū 3.) 1
ad eas anguſtias redigi debent, ut ſub iſtis uocibus certum temporis articulum includamus. Quod etiam S. Hieronymus aduerſus Heluidium de his aduerbijs, ante, donec, vſque, eleganter edocuit. Nam qui intelligendum eſſet illud, *vſque in ſeculum tu es Deus?* & aliud, *quem oportet cælum ſuſci-*
Act. 3. *pere, vſque ad tempora reſurrectionis;* ſi hæc ad diffinitum tempus referamus? Eadem etiam ratione hæc poteſtas, quam dominus victoribus pollicetur, nunc quoque ad eccleſiæ ędificationem concedi oportuit; vt nihil in ſacræ reip. conſtitutione & gubernatione deſiderari poſſit: quod plane veteres Patres firmiſſimis teſtimonijs comprobarunt.

Primum Andreas Cęſarienſis, qui ante mille annos prę 2
clariſſima in Apocalypſim edidit commentaria, ita hunc locum interpretatus eſt, ut ex Archetypo, qui in Bibliotheca vaticana aſſeruatur, tranſcripſi: *καὶ διὰ τούτου, καὶ τὴν τῶν ἀπίστων κρίσιν αἰνίττεται. δι' ἣν οἱ πεπλανημένοι ὡς ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ ποιμαινόμενοι συντριβήσονται ὑπὸ τῶν ἐν αὐτοῖς τῷ χριστῷ πιστευσάντων*, ideſt, *hac in re contra infideles iudicum exprimitur,*

mitur, quia ſeducti, quaſi uirga ferrea gubernabuntur & conterentur ab his, qui ſe Chriſto per fidem adiunxerunt. Sed qui obſecro infideles acriter & acerbe plectendi ſunt? num illi, qui numquam ad eccleſiam acceſſerunt? quos Apoſtolus tamquam pro foribus verſantes, ab eccleſiæ iudicio exterminat? ne id quidem. ſed illi conterendi ſunt ferrea virga, qui uel ſemel initiati fidem irritam fecerunt, vel Chriſti præcepta violarunt. In quos eccleſiæ diſciplinam, ſeueritatemq; animaduerſionis adhiberi neceſſe eſt, vt pœnæ acerbitate, vel a praua vitæ conſuetudine reſipiſcant, vel ad fidei verā ſententiam adigantur. 1.Cor.5.

3 Arethas eamdem interpretationē copioſiori oratione perſecutus eſt, cuius ſenſum breuiter ſtrictimque complectar: *Ad triumphum victoriæ dabo poteſtatem ſuper gentes, quemadmodum apud Lucam 19. cap. dixit Dominus illis qui recte talenta diſpenſauerant, vt alius quinque, alius decem vrbibus præeſſet. Omnia enim hæc quēdam principatum ac poteſtatem magiſtratibus eccleſiæ datam eſſe ſignificant ſuper infirmiores, & eos quibus dirigi opus eſt; ſicut ſcriptum eſt pſal. 44. Virga directionis virga regni tui. Etenim virga directionis emendationem potius, quam punitiuam correctionem indicat: ferrea vero virga cōtritionem & ſupplicium eorum denotat, qui ob inobedientiam uaſis fictilibus conferūtur. ſic virga virtutis & potentiæ progreſſa eſt ex Sion, vt dominaretur inimicis, eoſque Chriſti imperio ſubiugaret.* S. Cyrillus Alexandrinus lib. 5. in Eſaiam cap. 54. exponēs illum locum, *Semen tuum gentes hæreditabit*, eidem veritati conſentiens, ita ſubſcripſit: *Plurimorum virorum sāctorum & bonorum mater ac nutrix eccleſia gentium fuit, ac multos principes ac præfectos populorum peperit; adeo vt multis gētibus dominaretur. Quibus ipſe Saluator, eis qui laudatam vitam traduxerant, ſortem promittit, & in omne tempus futurum imperium populorum. Eſto* (inquit) *tu ſupra decem ciuitates; alteri, eris ſupra quinque. Quod etiam præfectis eccleſiarum conuenire poteſt, qui præ gaudio dicunt, Subiecit populos nobis gentes ſub pedibus noſtris*, hæc ille. Luc. 19.

Virga vero uirtutis, quæ progreſſa eſt ex Sion, nulla pro

fecto alia fuit,quam quę ex demortuis,& quaſi victis vete
ris legis radicibus,tāquam pullus enata eſt,ut apud Theo-
phraſtū ῥάβδος ſiue virga,παραβλαστάνειν ideſt,germē ſignifi
cat.Quæ cū abſq; terra,quaſi e tenero matris corpore abſci
ſo exoritur,ſæpe firma & robuſta naſcitur,vt pote quę totā
veteris arboris vim combibat & trahat : quod plane fuit
in cauſa quamobrem Chriſtus virga ex radice veteri Ieſ-
ſe dictus fuerit,cum veteri lege abrogata in Euangelij prę
dicatione, & eccleſiæ gubernatione maximas fuerit vires
ac firmitatem nactus, quibus gentes innixæ,tantum abeſt
quod labi aut confringi potuerint,ex Ezechiele cap. 19.
quam quod etiam nunc ſtabilius firmiuſque ſubſtiterint.

Quod ex Clemente Alexādrino lib. 1. pædagogi cap. 4
7.conſtat his verbis.*A Propheta prædictum eſt nomen Saluato-
ris, qui nos inſtituit, eaque de cauſa ei virga a prophetia adiuncta
eſt.virga inquam* παιδευτικὴ, ideſt , *admonitioni, & diſciplinæ
apta,* ἀρχικὴ *imperij, &* κατεξουσιαστικὴ *ſummæ poteſtatis.illi enim
qui ratione perſuaderi nō poſſunt, minis ſanari ſolent;quæ ſi nihil
proſint,virga ad ſalutē admouenda eſt ; quæ ſi nihil conferat adiu*
Eſa.11. *mēti,igne ſceleratos adurere neceſſe eſt.Dequa re Eſaias ait, Egre
dietur virga de radice Ieſſe.vide noſtri præceptoris curā,ſapientiā
& poteſtatem.Neque enim ex opinione iudicabit,neque ſecundum
loquelam arguet ,ſed iudicabit humili iudicium,& arguet pecca-*
Pſal.117. *tores terræ.et per Dauid,Caſtigās caſtigauit me Dominus,& mor
ti non tradidit me: a Domino enim caſtigari,eſt tamquam a præ
ceptore erudiri,& a morte liberari.De quo ait Propheta , & reges*
1.Cor.4. *eos in virga ferrea. & Apoſtolus ad Cor. Quid vultis in virga ve
niā ad vos, an in dilectione, & ſpiritu manſuetudinis*. hæc ille.
Ex quibus verbis aperte colligitur triplicē virgā Chriſto
domino fuiſſe collatam,diſciplinæ vnam,qua ſubditos ad-
moneret,imperij alterā, qua regeret , puniret & plecteret;
ſummę denique poteſtatis tertiā,qua ſceleratos extingue-
ret extremo iudicio .

Præterea S. Gregorius Nazianzenus in Encomio S. 5
Athanaſij illud maxime epiſcopo Athanaſio laudi tribuit,
quod numquam virga niſi moderate vteretur,cum ui & fa
culta-

cultate dicēdi,omnia a ſubditis impetrare poſſet. Sed eius uerba audiamus. ἥκιστα δὲ ῥάβδου, διὰ τὸν λόγον. ἔτι δὲ ἧττον τομῆς διὰ τὴν ῥάβδον μετρίως πλήττουσαν, ideſt, *virga non admodum egebat ob dicendi vim; ſectione vero multo minus, ob virgam moderate ferientem*. hæc ſane exacte perpendenda ſunt,cum virga proprie non ſecet aut ſcindat, ſed gladius; percutit quidem illa, & eum qui grauiter deliquit, ferit & punit,ſicut ſcriptum eſt, *virga in dorſo eius qui indiget corde;* Prou.10.
non tamen ſecat niſi ferrea ſit. Tunc enim ob materię firmitatem partes corporis elidimus, hoſtes impetimus, ferro concidimus. Quare oportuit, ut in eccleſia duę eſſent uirgę,altera quę percuteret,altera quę ſecaret. Athanaſius utraque parum utebatur, cum omnia ſui exemplò, & orationis ſuauitate a ſubditis impetraret. Idem etiam confirmat S. Gregorius Nazianzenus oratione ſecunda in Paſcha, ubi duplicem uirgam neceſſariam eſſe commemorat; alteram,quę fulciendi atque emendandi uim habeat; alteram acerbe puniendi, & caſtigandi. Quod Nicetas Setronius in eius loci commentarijs ita expoſuit: *Duplex*,inquit, *baculus eſt,ſiue virga,alia pecudes ratione vtentes paſtorum ritu caſtigans, iuxta illud pſal.2. Reges eos in virga ferrea; alia infirmos fulciens ac ſuſtinens, vt quæ labefactata ſunt facile cohæreſcant,vt Zacharias 8. dicit,ſenes futuros eſſe in Hieruſalem, qui præ multitudine dierum, baculos virgasq. in manu ſua geſtarent.* Vtraque plane poteſtas ad eccleſię ędificationem propagationemq. neceſſaria fuit,ut docuit S.Paulus 1.ad Corin.4. his uerbis: *Quid uultis*, inquit, *in virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis?* quę diffuſe ſequentibus capitibus exponemus.

Ad hęc Victorinus, non ille rhetor, ſed Pitabionenſis
6 epiſcopus, qui anno domini 270. floruit, elegans Apocalypſis interpres, his patrum ſententijs ſubſcripſit, his uerbis: *Dabo poteſtatem*, ideſt, *iudices aſſignabo.* ſubiungit: *& reges eos in virga ferrea*, ideſt, *qui perſecutionis*, uel ut emendatiora habent exemplaria, *abſciſionis gladio plectant.* Non ut tyranni, ut ait B. Hilarius in pſal. 2. non ut domini, qui

vix cogitant ęquum an iniquum imperent, vix quidquid laboris ſit reputant; ſed vt æquiſſimi iudices, vt parentes optimi, vt cenſores grauiſſimi, qui ſummam poteſtatem maxima cum benignitate, & ſpiritus ſuauitate coniungũt.

Pſal.2. *Neque enim ipſum regere*, vt ait S. Hilarius, *tyrannicum, neque iniuſtum eſt, ſed ex æquitatis & moderationis arbitrio. Id enim quod nobiſcum eſt, reges eos, græcè* ποιμανεῖ αὐτοὺς, ideſt, *paſtoraliter reges ſignificat: cum Chriſtus huius regni princeps curam atque effectum paſtoris ad congregandum gregem habiturus eſſet, vt Eſaias.cap.40 eſt auctor.* Ruffinus presbyter Aquileienſis in pſal.2. hunc locum interpretatus, virgam ferream inflexibilem iuſtitiam nominat; *virgam quidem ob rectitudinem, ferream vero ob duritiam, atque rigorem. Futura enim erat hæc virga recta bonis, & iucunda iuſtis: ſed malis & peruerſis dura & aſpera: quæ cum carnales confringendi eſſent, ideo recte a Propheta illatum eſt, Et tamquam vas figuli confringes eos.* hęc ille.

Apertius Arnobius, qui anno 300. Domini vixit, in 7
pſalm.2. explicatione, totam hanc rem eleganti oratione complexus eſt: *Sion*, inquit, *mons quod ſit eccleſia, docet Propheta, qui dicit: Ego dominus excitabo Sion in gẽtibus, & dabo eã in feſtiuitatem æternam omni nationi. in ipſa ergo prædicat filius Patris præceptum, in ipſa regit gentes quaſi in virga ferrea. Non enim cedit fortibus mundi, nec miſerorum deſpicit facies, ipſa timorem regibus imperat, ipſa iram venturam contemptoribus pollicetur, per quam fictilibus vaſculis comminatur interitum*. hæc ille. Hac plane poteſtate maxime functi Apoſtoli, omnem impietatem profligabant, ſatanam, vt ait S. Paulus ad Rom. 16. ideſt, quidquid ſibi futurum erat impedimento, ſub pedibus ob inuictam potentiam, (vt ait Philaſtrius Brixieñ. lib. de hæreſibus & Arethas Cappadociæ epiſcopus in Apocalypſim) velociter proterebant, illius diſſoluebant opera, omnibus hominibus incutiebant timorem, omnibus metum inferebant; cum illis fuerint armis induti, teſte Paulo. 2. ad Corint. cap. 10. quibus omnium regum munitiones debellari poſſent.

8 Præ-

8 Præterea S. Auguſtinus Homil. 2. in Apocalypſim,ad finem diſputationis ſic ait: *In Chriſto habet eccleſia hanc poteſtatem,ſicuti dixit Apoſtolus ad Rom. 8. cum illo omnia nobis donata fuiſſe:ſic virgam ferream dixit Ioannes propter iuſtitiam, & propter rigorem; cum virga corrigantur boni, mali vero confringantur.*

9 Quo teſtimonio impulſus Primaſius lib. 1. in Apocalypſim, diffuſe ſatis totam Auguſtini ſententiam perſecutus eſt his verbis: *In Chriſto habet eccleſia hanc poteſtatem tamquam corpus in capite:ſi qua enim eccleſia digne capiti eius adhæſerit,veraciter habere dicitur quod filius hæreditario iure poſſedit; in quo ſecundum Apoſtolum, nobis Deus omnia donauit:ſic virga ferrea inflexibili omnino iuſtitia eccleſiæ collata, regit mites, deſtruit contumaces.* Cui etiam ſententię ſubſcripſit Haymo lib. 2. in Apocalypſim, quem ob diffuſam orationem omitto.

10 Ex quibus omnibus locis inter ſe conſentaneis,atq; mutuo conſequentibus,& ex hac aptiſſima figuli ſimilitudine, qua Ioannes vſus eſt,non ſolum eccleſiaſtica poteſtas, verum etiam pœnarum acerbitates colliguntur: ad quas proſequendas,eccleſię magiſtratus quadam legum ſeueritate armari debent,ad vaſa fictilia,quæ in figuli rota formātur, & artificis manu conteruntur, vt ait Hieremias cap. 18., ideſt,ad ſceleſtos & omni flagitio coopertos homines,virgæ fereæ verbere caſtigandos. Qui niſi reſipiſcant, aut ad bonam mentem quaſi in viam redeant, de illorum tergo & ſcapulis,vt ait Cato,more mancipij conſulatur;vt quēadmodum gentilem populum moribus & exemplo imitati ſunt,ſic velut ethnici & publicani vapulent.

11 Sed cum Dominus ſapientiam inter perfectos loqueretur, & legis ueteris ſeueritatem Euangelij clementia temperaret, conſulto iniunxit Apoſtolis Matthęi 10. ne virgā deferrent;*cum maioris profectus eſſet,*(vt ait Hieronymus in Michæam cap. 7.) *virgam non habere, quā virga populos ouesq́; corripere.Vnde virga quæ eſſet litium incentiua; & ultionis inſtrumentum, ab Apoſtolorum manibus depulſa eſt,* (vt ait Ambro-

11.q.3.c. ita. broſius lib. de S. Ioſeph. cap. 13.)non tamen caſtigandi & animaduertēdi poteſtas. Ea enim apud Marcum cap.6. Apoſtolis conceditur,præſertim in eos,qui pecudum more,maxime corporis voluptatibus indulgēt. Quod Victor

cap. 6. Antiochenus in Marcum ita explicat: *Apud Marcum virga permitti videtur,legitur enim in hunc modum;& præcepit illis,ne quid tollerent in via niſi virgam tantū. Quod enim de virga hic aſſeritur,tantum ſecundum indulgentiam aſſertum videtur: certe verba eiuſmodi quiddam inſinuant;habent enim niſi virgam tantū, quaſi dicat Dominus,nihil volo uos in via deferre, niſi forſan virgam, qua nitamini.particula itaq.* μηδὲ,ideſt, *neque abſolute non negat,ſed aliquatenus permittit.* hęc ille.

CAP. IIII.

Ex Michææ prophetia conſtare regiam in Eccleſia eſſe potentiam,a qua non ſolum ſubditæ gentium nationes coerceri, ſed etiam, ſi earum labantur regna,fulciri poſſint.

SVMMARIVM.

1. *Eccleſia ſemper eamdem firmitatem aduerſus omnes eius hoſtes obtinuit.*
2. *Eccleſia paſcit & regit in fortitudine Domini,ideſt,Regia poteſtate,& principatu primo.*
3. *Principatum primum nominari a prophetis vrbis imperium, vbi ſumma eccleſiæ auctoritas futura erat.*
4. *Dominus cum regendi in virga ferrea poteſtatem contulit eccleſiæ, vires Romani imperij ipſi conceſſit.*
5. *Eccleſiam multis miraculis extructam fuiſſe, Prophetarum oraculis comprobatur.*
6. *Populi aduerſus principatum eccleſiæ,neq; muſſitare quidē debent.*
7. *Eccleſiæ imperium a ſe originem habet,nullis externis præſidijs*

dijs fulcitum.

8 *Eccleſia regnum ex ſe firmum eſt, cum alia imperia ab eccleſia firmitatem obtineant.*

9 *Terrena regna vt ſtare poßint, hinc inde auxilia poſtulant.*

10 *Romanum imperium æternum, ſybillinis folijs prædictũ fuiſſe, quia futurus erat æternus vrbis Antiſtes.*

11 *Ex vetuſtißimorum patrum teſtimonio comprobari, Romani Pontificis monarchiam eſſe Romannm imperium.*

12 *Hæretici ægre ferunt, ab eccleſia Romaua imperij iura conferri.*

13 *In Antichriſti aduentu multi ab eccleſiæ Romanæ obedientia ſe ipſos abducent.*

1 SED quoniam cap. 2. in Michæę prophetę mentionem incidimus, operæ pretium me facturum arbitror, ſi multa eius loca, quæ maxime ad hanc rem faciunt, exponam. Fuit quidem hic propheta cui quã plura de Chriſto & eius eccleſia oracula patefacta ſunt, vt merito in eo diutius immorandum ſit; ut hanc quam ſuſcepimus diſputationem illuſtrare poſſimus. Hic igitur cap. 5. loquens de Chriſti regno, ita habet: *Stabit, & paſcet gregem ſuũ in fortitudine Domini, & ſublimitate domini Dei ſui, & conuertentur; quia nunc magnificabuntur vſque ad terminos terræ*. Theodoritus in huius loci commẽtarijs, de ſacroſancta eccleſia vltimam verborum partem interpretatus, ait, *ab eccleſia Dominico nomine glorioſe ornata, vbique terrarum Dei nomen ſummis laudibus celebrari.* Quare, cum ex eo conſtet hunc locum de eccleſia intelligendum eſſe, aliunde exponendæ erunt ſingulæ uoces, vt de hac rę explorate iudicare poſſimus. *Stabit*, inquit, vel Chriſtus qui perpetuo regnaturus eſt in eccleſia, vt Rabbini vetuſtiſſimi ante Chriſti exortum interpretati ſunt; vel *Stabit* eccleſia, Apoſtolica dignitate fulcita, firma atq; perpetua, ſupra petram, hoc eſt, Petrum ſaxum firmiſſimum ſtructa, ab om-

ab omni errore incolumis,& libera: quantumuis licet ven ti & turbines in eam impingant,tempeſtates irruant,& aduerſæ mundi poteſtates impetum faciant: ſemper *στήσεται ſtabit* Dei ædificatio,Dei ſtructura,Chriſti & Petri auctoritate ſolidata.

Quæ cum ijs altiſſimis fundamentis,& firmiſſimis præſidijs nitatur, *ποιμανεῖ ἐν ἰσχύι* ideſt, *paſcit* regitque *in fortitudine* & robore *Domini Dei ſui.* Quo tantũ virium & firmamẽti habet,vt nulla vi labefactari, aut a ſuo præſidio & loco depelli & dimoueri poſſit.Quæ autẽ ſit hæc fortitudo Domini,qua paſcendus eſt grex, ideſt, regenda eſt eccleſia, idem propheta ſui ipſius germanus interpres,cap.3. explicauit: *Ego,*inquit, *repletus fortitudine Domini indicio, & virtute*,& quod excurrit. Fortitudinem,de qua ipſe gloriatur, *iudicium & virtutem* dixit,Septuaginta viri *δυναστείαν* nominant, ideſt, *regiam potentiam*, regiumque magiſtratum, quẽ cap.4. *ἀρχὴν τὴν πρώτην*, ideſt, *principatum primum* appellarunt. Caldęus Paraphraſtes *priſcam dominationem filiorũ Iſrael* nuncupauit, quá multis ſubiectis populis imperarũt, multis aduerſarijs profligatis conſtanter dominati ſunt. 2

Sed quis futurus erat hic primus principatus?quæ regia poteſtas?quod robur & firmitas? quæ magnitudo & ſublimitas eccleſiæ?Hærerem plane, niſi Propheta & locum & populi innumerabilem multitudinẽ, & triumphi nobiliſſimam pompam deſcripſiſſet: *Congregatione*, inquit, *congregabo Iacob totum te,in vnum reducam reliquias Iſrael,pariter ponã illum quaſi gregem in ouili,quaſi pecus in medio caularum,tumultuabuntur a multitudine hominum. Aſcendet enim pandens iter ante eos,diuidet & tranſibunt portam,& egredientur per eam,& tranſibit rex eorum coram eis.* Quo in loco pollicetur Dominus ſe totum Iacob in vnum ouile reducturum eſſe,in eũque locum congregaturum Iſrael,quo tam innumerabilis hominum multitudo conflueret, vt vix locus ampliſſimus poſſet tantam hominum frequentiam capere. Sed in hebræa lectione aperte & palam locus hic proprio nomine deſignatur.ita enim habet: *Ponam,*inquit,*illum ſicut oues in* 3

Mich.2.

Boſra,

Boſra, ideſt, conſtituam congregaboque gregem meum, Valentiæ ſeu Romæ vel robore. Valentiã vero Romanam Vrbem totius orbis principem prius dictam fuiſſe, Iulius Solinus, & alij auctores memoria prodiderunt. Idem nãq; ῥώμη græce, latine Valentia eſt. Quod etiam veteres Rabbini comprobarunt, qui Boſram Romam nominant. ergo in Vrbe ampliſſima & totius orbis principe, totum Iacob & Iſrael congregauit Dominus, vt non ſolum ibi arcem imperij obtineret, ſed etiam religionis dignitate nobilitaretur. Vbi primus gregis paſtor Chriſti Domini vice functus, ſuccedentibus deinde per longam temporum ſeriem paſtoribus, Chriſtianæ diſciplinæ ratione illuſtrauit, auxit, propagauit. In hanc ergo Vrbem ingreſſus Petrus, vt triũphum nobiliſsimum duceret, & inſigne religionis & dignitatis exemplum omnibus pręberet, *aſcendit, pandens iter ante omnes*, & vt ampliſſimum aditum aperiret gentibus, murum diuiſit, ac demolitus eſt. Nam quemadmodum in ſacris certaminibus, quæ hieronica dicuntur, deiecta parte muri (vt ait Suetonius in Nerone, & Plutarchus lib. 2. *cap. 25.* Sympoſion) & deiectis parietinis, vel demolitis arcubus, atque etiam omnibus acclamantibus, pompa publica ducebatur: ſic Petrus multis religionis cauſa laboribus perfunctus, diuiſit prærupitq; muros vrbis, ideſt, impedimenta omnia ſuſtulit, & eos qui Romæ ſeſe temere ſuæ prædicationi opponebant, ſubiecit; ac veluti rex & totius orbis paſtor in arcem imperij Chriſtianam religionem inuexit. Quo tempore factum eſt, vt bellum ciuile, quod Camillus Scribonianus excitauerat, Petri in Vrbem aduentu, fuerit compreſſum, atque extinctum (vt docet Paulus Oroſius lib. 7. hiſtoriæ) ne fidei Chriſtianorum germina, adhuc tenera & erumpentia, impediri poſſent. Vnde tantam eccleſia amplitudinem aſſecuta eſt, vt non iam imperio ſubiaceat, ſed potius Imperium, quod ſępe bellum eccleſiæ intulit, & eandem laſceſſiuit iniurijs, iam ſub eccleſiæ ditione teneatur.

4 Etenim cum Dominus virgam ferream eccleſię contu-

liſſet, terrenæ quoque poteſtatis contulit dignitatem; vt ſpirituales ſimul & temporales vires obtineret. Quod ex Origene, dialogo. 1. de recta in Deum fide, & ex S. Cyrillo Hieroſolymitano catecheſi duodecima, colligitur. *Reges,* inquit, *eos in uirga ferrea ait Dauid, ſed dic mihi, non ne aperte uocatur virga ferrea Romanorũ imperium? De quo reliquum ex Daniele commemoremus. enarrans enim, & declarans Nabuchodonoſori imaginem illius ſtatuæ, & reliqua omnia quæ ſunt circa illam viſionem, lapidem ſine manibus de monte exciſum & non humana opera conſiſtentem, dominaturum ait vniuerſo orbi, et hæc apertiſſime dicit. Et in diebus regnorum illorum, excitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum illius populo alteri non tradetur*: hæc ibi. Præterea Euſebius, in catena græca pſalmorum, idem cenſuit his verbis:
Pſal. 2. *Per virgam ferream, Dauid Romanorum principatum intelligit. Qui poſtquam Saluator noſter in terris viſus eſt, fortior fuit.* ſubiungit: *Cum enim Chriſtus, latenti & occulta poteſtate, gentes orbis vniuerſi a patre in hæreditatem accepiſſet, eos qui ipſi paruerunt lætis paſcit paſcuis: At contumaces virga ferrea ſubigit, et domat Romana potentia.* Eidem ſentẽtię Theodoritus, Athanaſius, Nicephorus, & ex latinis Hieronymus aſtipulantur, omneſq; alij patres, quos recenſere longum eſſet. Ergo ſi ferrea virga imperij Romani amplitudinem denotat, profecto cum Dominus virgam ferream eccleſię contulerit, Romani Imperij vires, magnitudinem, ac poteſtatem in eccleſiam tranſtulit, eiuſque iuri ac dominationi omnia alia regna ſubiecit. Nam quemadmodum, in rerum ac imperiorum conuerſione, victus victoribus cedit, & ab his iura legeſque depoſcit: ita profecto cũ imperij magnitudo in eccleſię poteſtatẽ translata ſit, ab ea oẽs principes iure Romanę eccleſię ſubiecti, leges ac iura poſtulabunt.

Quare merito eccleſia in hac fortitudine reget, in hac
auctoritate imperabit, in hac virga ferrea, in hoc robore 5
regiaque potentia greges ſuos paſcet, gubernabitque, vt idem propheta Michæas ca. 7. diuino afflatus numine, prędixit his verbis: *Paſce, ποίμαινε*, ideſt, *rege populum tuum in*

virga tua, gregem hæreditatis tuæ, habitantes ſolos in ſaltu, in medio Carmeli paſcentur, Baſam, & Galaat iuxta dies antiquos. ſed quonam pacto paſcentur gentes, aut regentur populi, tam patrijs moribus quam conſuetudine diuerſi? *Secundum dies,* inquit, *egreſsionis tuæ de terra Aegypti, oſtendam eis mirabilia.* Illis enim portentis extruetur eccleſia, quibus ſynagoga; illis prodigijs, immo multo maioribus erigetur, illis viribus robuſtiſſimaque Petri uirga, & poteſtate haud Moyſis inferiori, gubernabitur. Quod plane ex vtriuſque collatione conſtabit. Moyſes non ſolum virga Aegyptios decem plagis afflixit, & populum Iſrael, ideſt, omnia vaſa fictilia populi, eadem virga dura contriuit: ſed etiam mare diuiſit in diuiſiones, vt populos per aquam nimiam tráſueheret. Eadem ratione Petrus Chriſti poteſtate functus, non abalienatum populum dumtaxat ad veræ fidei rationem perduxit, vaſa teſtea in contumeliá ſtructa, virga ferrea obtriuit, Ananiam & Sapphirá acerbiſſima morte mulctauit, nonnullos grauiſſimis pœnis inſecutus eſt: ſed etiá quod mirabile quidé eſt dictu, mare Aegypti ſpiritu violéto percuſſit, ut calce mero, traijci poſſet. Quod Eſaias cap. 11. admirabundus enarrauit his verbis: *Deſolabit Dominus linguam maris ægypti, & leuabit manum ſuam ſuper flumen in fortitudine ſpiritus ſui, & percutiet eum in ſeptem riuis, ita ut tranſeant per eum calceati. & erit via reſiduo populo meo, qui relinquetur ab Aſſyrijs, ſicut fuit Iſrael in die illa, qua aſcendit de terra Aegypti.* Vt Euangelicæ prædicationi peruia fieret terra Aegypti, Dominus omnia impedimenta ſuſtulit, quæ ipſis Apoſtolis obeſſe poterant; & præſertim B. Marco, qui in Alexandrinam vrbem a B. Petro tranſmiſſus erat: *cui prudenter & caute conſultum eſt, vt ſibi euangelizanti Ieſum* (vt ait B. Cyrillus) *tranſitus & via patefaceretur, vt libere in Aegyptum commigrare poeſſe.* Etenim diuiſus eſt Nilus in partes, & ſciſſus in riuos, vt poſſet abſque vllo impedimento, vt ait S. Hieronymus, Euangelicus ſermo diſcurrere, & ad populos Aegypti vltimos peruenire: quo quidem tempore non ſine ingenti gloria via facta eſt reſiduo populo Dei,

ideſt,

ideſt, B. Marco & eius diſcipulis, qui citra periculum calceati, ideſt, ſecuri fluminis alueũ traiecerunt. ſed quonã pacto, & per quę tẽpora hęc omnia acciderint, S. Cyrillus in Eſaiam lib. 2. & S. Hieronymus eodem loco docuerunt. nobis tamen hoc ſolum ad rem facit, in prędicatione Euangelica, flumen Aegypti verbo Domini repreſſum, & quaſi in modum muralis ſepis, eius aquas diuiſas fuiſſe, non minori profecto miraculo, quam olim in liberatione populi acciderit.

Præterea Michæas cap. 7. vt inſignem eccleſiæ dignitatem, & ſingularem vim in paſcendis ſubditis demõſtraret, homines, quibus eccleſiaſtici viri imperabant, pauidos & tantæ poteſtatis metu exanimatos deſcripſit his verbis: 6
Videbunt, inquit, *gentes, & confundentur ſuper fortitudine ſua* ἰσχύι, robore ſuo, cum ſe ipſos viribus pene collapſos, ac omnino deſtitutos aſpicient: *Et ponent manum ſuam ſuper os ſuum, aures eorum ſurdæ erunt*. Manum vero ſuper os ponere, non ſimpliciter tacere eſt, ſed conſternato animo, timore alicuius defigi, & linguam illius admiratione & reuerentia tenere. Quod Iob cap 29. expreſſit, & S. Greg. Nazianzenus oratione in funere patris interpretatus eſt. Sed B. Iob loquentem audiamus: *Principes ceſſabant loqui, & digitum ſuper ponebant ori ſuo, vocem ſuam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi adhærebat*. Solebant enim principes ob reuerentiam B. Iob, vel ſe ab eius proſpectu ſubducere, vel cum eius formidarent aſpectum omnino ſilere. Par ſane æqualisq. honor eccleſiæ magiſtratibus impertiendus eſt, & omnino eorum numini tamquam diuino cedendum, nec quidquam aduerſus ipſorum imperium obloquendũ, nihil dictu, aut factu, vt ait Theodoritus, audendum: ſed tacẽdum, ſilendum, muſſitandum. Quod Hieronymus Vida, noſtri temporis grauiſſimus auctor eleganter expreſſit his carminibus:

Papè poteſtate vſpiam mortalium
Dijs proxima, adeo quempiam in altum ſubuehi,
Vt ſummus vnus ceteris mortalibus

Præſcribat, illi nemo prorſus omnium
Muſſent, ſed omnes ſponte vna pareant
Pietate ſola adducti, in animis
Suapte vi, parentiumq; ritibus? hæc ille.

7 Subiungit præterea idem Propheta: *Paſcent in ſublimitate Domini Dei ſui*, ideſt, imperabit, vt habent Septuaginta viri *ἐν δόξα*, ideſt, in gloria Domini Dei ſui. Quam vero apte hac voce vſi fuerint, obſeruatione cõpertum habeo. Nam *δόξα*, aperte potentiam roburq. ſignificat, apud Zachariam cap. 2. & 6. qui cum de Ieſu ſacerdotis ſacra functione diſſereret, dixit: *Ecce vir Oriens nomen eius, & ſubter eum orietur*, ideſt, nullis humanis præſidijs nixus, ſed ſubtus ſe, & a ſe eius germinabit imperium; non alienis viribus partum, aut alterius auctoritate firmatũ, ſed a ſe ipſo, ſuisq. viribus conſtitutum: quod ex Eſaia cap. 40. conſtat, vbi cum de Chriſti regno prophetaret ait: *Ecce Deus veſter, ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur*. vbi textus hebræus eam vocem habet, dominabitur per ſe, vel ſibi, ideſt; ipſe per ſe pariet ſibi dominatũ & poteſtatem. Neque enim Chriſtus bello imperium aſſecutus eſt, neque more aliorum regum ſuam ditionem exter no militum præſidio firmauit, ſed a ſe ipſo, & dono Patris, in cælo & in terra poteſtatem obtinuit. Quod plane fuit in cauſa quamobrem Chriſtus regnum ſuum non eſſe de hoc mũdo affirmarit: quia non ſicut alia regna bellorum tumultibus partum ac conſtitutum fuerat, ſed dono Patris, qui omnia Filij poteſtati ſubiecit, vt ex Auguſt. tract. 115. in Ioannẽ aperte conſtat, & ex ſynodo ſecunda Nicæna vbi ſic habetur: *Audite quid ſcriptura dicat, regnum Illius regnum ſempiternum, non quemadmodum terreni reges, qui nunc victoria ſuperiores, nunc vero inferiores videntur*. In qua re maxime ſęculare regnum ab eccleſiæ imperio, & principatu ſecernitur; vt illud alieno præſidio partum cum ſit, debeat aliena auctoritate fulciri, Chriſti non ita; cum eiſdem artibus retineantur imperia, quibus parta conſtitutaq. fuerunt. Addit Propheta, *& ædificauit templum*, idem Ieſu, *&* *Actione 6.*

porta-

portabit gloriam, δόξαν, ideſt, grauem geret perſonam, maximam dignitatem ſuſtinebit. Quod præter hunc locum, & Geneſ. 18. & 45. & pſal. 104. vbi gloria potentiam ſignificat, etiam nunc clare huius vocis ſenſus aperitur: his verbis: *Et ſedebit, & dominabitur ſuper ſolio ſuo*, ideſt, hanc gloriam & poteſtatem habebit, ut firmum & perpetuum regnum obtineat, & eidem in ſolio ſuo, ideſt, in ſublimitate atque potentia dominetur.

Igitur ſublimitas huius imperij, eiusque gloria & firmitas, hac vna in re comperta eſt maxime, vt cum res humanę aliud alio ferantur, in dies mutentur, atque perpetuo miſceantur; ſolum eccleſiæ imperium (tametſi varijs tempeſtatibus agitari, & tumidis fluctuum voluminibus obrui, atque ſubmergi videatur) æquabiliter tamen atque conſtanter ſe habeat. Quæ plane vſque adeo vera ſunt, vt regnum illud minus aduerſis caſibus laboret, immo facilius retineatur, ſi fuerit eccleſiaſtica auctoritate fulcitum. Quod ab Eſaia cap. 22. iuxta Septuaginta translationem aperte prædictum eſt his verbis: *Vocabo puerum meum Eliachim*; qua voce, vt ait Hieronymus in hoc loco, Euangelici cultus ſacramenta monſtrantur; *& induam illum ſtola tua, & coronam tuam dabo ei, & œconomiam tuam dabo in manus eius, & erit tamquam pater omnibus habitantibus in Hieruſalem, & qui habitant in Iuda, & dabo ei gloriam Dauid, & principatum geret, & non erit qui contradicat, & ponam eum principem in loco tuto, & fiduciam in eum habebit quiſquis glorioſus eſt in domo patris, à modico vſque ad magnum, & pendebunt ab eo illa die.* Quem locum S. Cyrillus Alexandrinus in epiſtola ad Maximianum Conſtantinopolitanum epiſcopum, de eccleſiæ præfectis interpretatus eſt. Quibus omnes tam maximi quàm etiam minimi innituntur, & tamquam a paxillo pendent ne corruant, ne ve ſuis ſedibus pulſi, honoribus & dominatu deturbentur. Etenim futuri erant eccleſiæ magiſtratus, *tamquam equi gloriæ in bello*, ideſt, fortes maxima cũ laude, vt Zacharias cap. 10. & Iob. 39. & Eſaias. 40. docuerunt. A quibus *egredietur*, vt Zacharias eodem loco eſt au-

ctor,

ctor *angulus*, id eſt, Princeps (vt Iudicum. 20. legimus) *& paxillus* in quo omnia domi inſtrumenta ſuſpenduntur, vel vt habet paraphraſis Caldęa, rex erit ex eis, *et arcus prælij*, quo fortiter aduerſarij feriantur, *& omnis exactor ſimul*, qui nos ad opus bonum acriter urgeat. Addit propheta: *Et erunt quaſi fortes conculcantes lutum viarum in prælio, & bellabunt quia Dominus cum eis.* Cum aduerſarij eccleſię tamquam lutum ſint calcibus impetendi, vel tamquam hoſtium cadauera, vt ait Caldea paraphraſis, plantis proterendi & conculcandi, *& ſicut lutum platearum delendi.* *Pſal. 17.*

9 Quare cum terrena regna ſatis ipſa per ſe ad perpetuitatem virium non habeant, cum ipſis quam plurium rerum αὐταρκεία & ſufficientia deſit, hinc inde ſuppetias atque auxilia petunt, ebriorum more, qui cum pedes labaſcunt, aut greſſus titubant, manu omnia explorant, & ad quemcumque locum adhæreſcunt, ne humi corruāt. Hæc vero ſecularibus regnis ſæpe contigiſſe, Naum Propheta cap. 3. vaticinatus eſt, cum Alexandriæ & Niniuæ uaſtitatem pręſagiret. *Et tu inebriaberis*, inquit, *& eris deſpecta, & tu quæres auxilium ab inimico*: Septuaginta viri hanc voculā addiderunt ἱνασάσιν, id eſt, quæres ſuppetias aliunde, vt ſtabilire tuum regnum poſſis. Quas cum ab inimicis expoſtules, ipſis eris contemptui, tamquam ebria. At vero cum eccleſia Romana nulli ſit noxia, immo vero omnibus tamquam parens optima præſidio ſit, omnibusque propitia atque benigna; facile profecto terrenis regnis, ſi ipſius paruerint legibus, auxiliares copias & firmiſſima præbet munimenta; quibus regna per ſe ipſa ruitura fulciat, & ad multorum ſæculorum perpetuitatem ſeruet.

10 Hæc enim ſola eſt quę æternitatē obtinet, cum alia omnia fluctuent Imperia: Hæc perpetuo apud omnes viget, cum alia occidant, vel breui tēpore aucta ſeneſcant. Quod plane fuit in cauſa, vt magnis ingenijs tanta Imperiorum commutatio ſuſpecta fuerit, adeo vt affirmare auderent non legitime eos Imperio potitos, qui rerum conuerſione dominationem amitterent. Imperium vero Romanum

E legiti-

legitimum & æquum, quod perpetuum ab oraculis prædi-
ctum, quod alijs nationibus per varias vices iura dederit,
quod illis abunde magna pręſidia præſtiterit; quibus non
ſolum ſubditorum bona tuta, ſed etiam omnia illorum ſe-
cunda & fortunata foret. Quibus de cauſis Ariſtides in Ro
mæ encomio, Vrbis præſtantiam extulit his verbis: *Qui
enim*, dicam latine, *ante vos dominati ſunt, ſerui dominiq; inter
ſeſe* ἐν τῷ μέρει, idest, *alternis uicibus, & quaſi per partes, nec le-
gitime aſciti ſic degere, quaſi in pila ordinem commutantes. Ser-
uiere Macedones Perſis, Perſæ Medis, Medi Syrijs.* Sed quid? nō
ne & ipſi Romani grę cis ac barbaris nationibus paruerūt?
quæ etiam vna cum ſuis viribus confractę, ac funditus per
ditæ? nonne in eas calamitates proiecti, vt ex tanto impe-
rio pauca remanere videātur? Aeterna tamen Vrbs eſt, vt
ait Ammianus lib. 17. & Sybillinis folijs eius æternitas
prædicta, quia æterna futura erat eccleſia Romæ fundan-
da; æternum imperium Romanum, non proprijs viribus,
ſed æterni Vrbis Antiſtitis auctoritate fulcitum. Neque
enim alia ratione tam varia de Vrbis æternitate, & de
imperio ſine fine vera forent, niſi eccleſiæ auctoritate fir-
marentur.

11 Vnde Tertullianus lib. ad Scapulam, imperiū Chriſtia-
norū, ideſt, monarchiā eccleſię catholicę Romanę, imperiū
Romanum appellat, *quod* inquit *tamdiu ſtabit, quouſque ſæcu
lum ſtabit.* eidem etiam S. Hieronymus commentariorum
in Michæam lib. 1. cap. 4. aſſentitur his verbis: *Poſtquam ad
imperium Chriſti ſingulare imperium Roma ſortita eſt, Apoſtolo-
rum itineri peruius factus eſt orbis, & apertæ ſunt eius portæ vr-
bium, & ad prædicationem vnius Dei ſingulare imperium conſti
tutum eſt.* Quod nam vero aliud imperium ſingulare fuit,
quod Romę conſtitutum eſt, niſi Romani Pontificis mo-
narchia? *Quæ,* vt ait Proſper Aquitanicus lib. 2. de voca-
tione gentium, cap. 6. *amplior per Apoſtolici ſacerdotij principa
tum facta eſt, arce religionis, quam ſolio poteſtatis, aut rei milita-
ris diſciplina.* Hinc S. Clemens Romanus lib. 5. conſtitu-
tionum cap. 5. docet Chriſtum tamquam lapidem ſine ma

nibus exciſum, dominatum multorum regum obtriuiſſe ac deuaſtaſſe, Romanamque monarchiam elegiſſe. Quod plane factum eſt, cum Chriſtus Dominus Petrum Romanę monarchię pręfecit, vt una cum ea totius orbis imperio potiretur.

12 Hoc tamen æquo animo pati non poſſunt Antuerpienſes hęretici in ſua cōfeſſione, qui ira tumidi execrari ſolēt, omnibusq; maledictis impetere Epiſcopos, Principes, Reges, quod a ſummo Pontifice iura legesq; depoſcant. ſed hoc hæretici faciunt inclementius, cum inter tot imperij clades Vrbi & orbi illatas, ne tāti quidem imperij ueſtigiū reliquum foret, niſi eccleſia Romana illud nutans, & quaſi labens, ſua manu atque pręſidio, tectum ſartumque ſeruaſſet: *Eſt enim eccleſia in republica Romana*, ideſt, *in imperio Romano*, ut ait Optatus Mileuitanus lib. 3. *& non reſpublica in eccleſia*, ideſt, cum imperium prius & antiquius fuerit eccleſia Romana, quę labentibus ſęculis ſubſecuta eſt, primū in eius gremio ac ſinu coaluit, mox eccleſia illud excepit, ut bellorum tumultibus laceratū retineret. addit Optatus: *Imperium Libanum appellat Chriſtus in Canticis canticorū, cap. 4. cum dicit: Veni ſponſa mea, inuenta de libano, ideſt, de imperio Romano, vbi & ſacerdotia ſancta ſunt, & pudicitia, & virginitas, quæ barbaris gentibus non ſunt.* hęc ille. Libanum uero λευκασμὸς dicitur, ideſt, candor & ſplendor, a quo eccleſia progreſſa eſt; ſicuti ſcriptum legimus canticorum 3. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata, & tranſit per viam huius ſæculi*, ut legit Hieronymus ad Iouinianum. Ergo ſi ſacerdotium non eſſet, neque imperium Romanum extitiſſet, neq; de illo fuiſſet eccleſia congregata. Sacerdotium, inquam, non illud impoſturis & pręſtigijs idolorū infame, & uirtutis macula, & dedecus honeſtatis, pecudumque ſanguine cruentum; ſed Chriſti paſſione inſigne, & maieſtate glorioſum: a quo viget imperium, quia in eo uiget ſacerdotium, viget reſpub. Romana, quia in ea uiget eccleſia; quę niſi uiguiſſet, iam imperium tot barbarorum impetu, atque incurſione laceſſitum, extinctum fuiſſet.

Quare cũ eccleſia Romana,quę de Libano progreditur, 13 ſit Verbi incarnati imperiũ,*quod Chriſtus ſuper humeros ſuſtinet* (vt ait Achatius Epiſcopus Melitenſis in Homilia habita ad patres Concilij Epheſini)neceſſe eſt, vt ſtabile euadat quidquid fuerit eius poteſtate atque pręſidio firmatũ. quod plane perpetuo durabit, donec tandem Chriſtus rex ſęculorum immortalis inuiſibilis ad orbem iudicãdum accedat. Tunc enim fiet diſceſſio primum, vt ait Paulus 2.ad Theſalonicẽ.2.quam Gręci Apoſtaſiam nominant; quę proprie dicitur a fide & religione diſſidium,vt libellus gręcus manuſcriptus Illuſtriſſimi Cardinalis Sirleti, qui λέξις vocũ Pauli inſcribitur, interpretatus eſt. Quod tunc futurũ eſſe docet S. Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi. 15. quando non ſolum fidei, ſed etiam bonorum operum neglectus erit. Tunc enim omnes fere gentes quę huic Romano imperio,ideſt,eccleſię Romanę ſubiacebunt (vt Ioannes Gerſõ ſermone de ſignis ruinę eccleſię, & Otho Friſingenſis lib.8.cap.2.& Engelbertus Abbas Admõtenſis lib. de fine Romani imperij cap. 18. egregie docuerunt) ab ea recedent,& ſuauiſſimum iugum religionis excutient. Tũc reuelabitur homo peccati,ideſt, Antichriſtus filius perditionis,qui ab eccleſia Romana omnes quos poterit, vi & armis abducet, & grauiſſimis tormentis etiam conſtantes a fidei cauſa depellet. Quod iam imminere noſtris turbulẽtiſſimis temporibus magno omnium mœrore cõſpicimus. Etenim Angliam a Romana eccleſia euulſam, ſanctorumque martyrum ſanguine madentem, quis ſiccis oculis intuetur? Gallię & Germanię bonam magnam partem diſtractam,& inter ſe inteſtinis bellis fluctuantem, & diſciplina fœdatam, & abalienatam a Romana eccleſia, quis ſine fletu & ſuſpirijs aſpiciet? Omitto alia quę ſępe lachrymas excutiunt: iuge illud ac perenne ſacroſanctum corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſacrificium, quo omnia quę in terris & in cœlis ſunt pacificãtur, neglectum atque conculcatum: vt ex hac ſola re, quemadmodũ S.Hippolytus lib.de conſumatione mundi,eius interitum

prę-

prędixit; ſic nos qui rem ipſam manibus tenemus, prope iam totius orbis excidium imminere videmus.

CAP. V.

Omnes Principatus & mundi regna ob Eccleſiæ contemptum ſubuertuntur.

SVMMARIVM.

1 *Apoſtolos leonibus ſimiles fuiſſe.*
2 *Ex Theodorito conſtare, poſt diuulgatum Euangelium peſſima regna diſſipata.*
3 *Reliquiæ Iacob & vermen Iacob ſunt Apoſtoli, qui ex Eſaia 41. obtriuerunt reges.*
4 *Apoſtolos facibus, plauſtris, rotis, & piſtrini molis, & cornu tandem ferreo collatos à Prophetis.*
5 *Grauiſſima perpeti damna illos qui eccleſiæ leges contemnunt.*
6 *Paulus arma eccleſiæ cur neget eſſe carnalia.*
7 *Omnia regna quæ erant peccatis obnoxia, ab ipſis Apoſtolis deſtructa fuiſſe.*
8 *Eccleſiam habere vires robuſtiſſimas, quibus repugnantes Principes ab ſtatu depellat.*
9 *Regna ob iuſtitiæ meritum ab eccleſia protecta, ob ſcelera diſſipata.*
10 *Imperium Romanorum ob eius impietatem, ab eccleſia diſſipatum fuiſſe.*
11 *Quæ fuerit cauſa ſubuerſionis Imperij.*
12 *Regnum Dauid eſſe eccleſiam Romanam, teſte Epiphanio.*

1 FAcere non poſſum ob Michæę præſtantiam, quin demum eius exponam ſcripta, in quibus viua eccleſiæ facies, & quaſi ſpirãs imago veritatis expreſſa eſt. Habet quidē multa eademq. grauiſſima argumenta, quæ maxime noſtræ diſputationi conferunt. Habet

bet maximam in dicendo uim, præſertim vbi leonum robori & viribus, Apoſtolicam auctoritatem contulit. ſed eũ loquentem audiamus: *Et erunt reliquiæ Iacob in gentibus, in medio populorum multorum quaſi leo in iumentis ſiluarum, & quaſi catulus leonis in gregibus pecorũ, qui cũ tranſierit, & conculcauerit, & ceperit, nõ eſt qui eruat. et exaltabitur manus tua ſuper hoſtes tuos, & omnes inimici tui interibunt, & erit in die illa dicit Dominus, auferam equos tuos de medio tui, & diſperdã quadrigas tuas, & perdam ciuitates terræ tuæ, & deſtruam omnes munitiones tuas.* & quę ſequuntur, Rabbini uetuſtiſſimi reliquias Iacob interpretati ſunt Apoſtolos, & Diſcipulos, quorum virtutem, excellentiam, auctoritatem, atque conſtantiam coram regibus in deferendo Euangelio miris modis commendauit Propheta.

Theodoritus in huius loci cõmentarijs, totum hunc locum elegantiſſima paraphraſi expoſuit, quam non pigebit huic capiti apponere, vt germanus huius loci ſenſus apertior fiat: *Apoſtolorum,* inquit, *principia roris ſimilia iacebantur, & quemadmodum agni impietatis gramen depaſcebantur, doctrina & miraculis in medio luporum verſantes. Poſtea vero quam orbis terræ Euangelij declarationem ſuſcepit, & reges & imperatores ad numerũ eccleſiæ adſcripti ſunt, in veritate in hoſtes metus incubuit, & ij iumentorum ſimiles facti, metu & horrore complentur ex omnibus partibus auxilio deſtituti. Hi vero qui Euangelicam doctrinã docent, leoninos animos gerentes & robur, cum ſumma libertate veritatis uerbo expugnant.* & ſubiungit: *Ergo hoc animi robur adipiſcentur; qui vero in perfidia permanſerint, ſuo regno ſpoliabuntur, & omnino peditatu equitatuque priuabuntur: neque vrbes mœnibus munitas habebũt.* Satis apertę Theodoritus eccleſię auctoritatem commendauit: ſed ſingulas Prophetę voces perpendamus, vt veritas illuſtrior fiat.

Reliquiæ Iacob hoc nomine Apoſtoli, & eorum ſucceſſores expreſſi ſunt, qui ex tota illa Abrahę progenie remanſerunt. Eſaias *vermen Iacob,* cap. 41. & Hieronymus *mortuos ex Iſrael* eoſdem nominat, cum toto corpore ueteris popu- 3

li, qua-

li, quaſi iam putrefacto & tabido ſpirare, viuere, & tamquam ui quadam caloris agitari videretur: mox tamen in tantã potentiam excreuere, tantũ roboris, vt ait paraphraſis Caldęa, aſſumptis viribus aſſecuti ſunt, ut non ſolum reges & principes ſibi aduerſos in nihilum redigerent, & ab eorũ manibus bellica armamẽta depellerent, verum etiam omnia regna mundi debellarent, protererent, caperent.

4 Quantum vero hęc eccleſiæ dignitas ceteris omnibus poteſtatibus antelata ſit, aptiſſima leonis ſimilitudine expreſſum eſt a Michęa: nam cum leo loca aliqua furore percurrit, omnia proculcat, vel vt habent Septuaginta viri, διαστείλας *diuidens*, ἁρπάσῃ, ideſt *diſcerpit, & demolitur*: ſic eccleſiæ aduerſarij ab ipſis Apoſtolicis viris profligantur, & diuino proſternuntur numine, vt nullus ab eorum poſſit manibus effugere. Etenim fuerunt Apoſtoli *tamquam caminus, et tamquam fax ignis accenſa*, vt ait Zacharias cap. 12. non quidem ſolum vt illuſtrarent animos hominum, quam quod etiam omnes peſſimos populos in circuitu, ad dexteram & ad ſiniſtram abſumerent. fuerunt tamquam *plauſtrum nouum triturans, habens roſtra ſerrantia*, ut ait Eſaias cap. 41. *quo montes, & colles*, ideſt, regna, & mundi principatus protererent: & tamquam rotę *plauſtri*, vt legunt Septuaginta viri, quæ celerrime quaſi diuino turbine agitarentur. Fuerunt tamquam feruidiſſimę rotæ piſtrini, quæ impetu in orbem agitatæ, omnia frugum genera comminuerent, vt Michæas expreſſit his verbis. *Surge & tritura filia Sion*, Septuaginta habent ἀλόων, mole vt piſtrini rota, quę ceſim fruges territ ac minuit: *quia cornu tuum ponam ferreum*, ideſt eccleſię caput firmiſſimas & robuſtiſsimas uires aſſequetur, quibus omnes hoſtes proſternat; *et vngulas tuas ponam areas*, ideſt, vt habet paraphraſis Caldæa, populus eam firmitatem obtinebit, qua alias omnes gentes conculcare & proterere, poſſit. ſubiungit Propheta: *Et interficies Domino rapinas eorum*. Quod plane proprie ſacerdotũ eſſe, nullus inficiari poterit, prę ſertim cum ipſis ex munere cõpetat dedicare aliquid Deo immortali, eiuſque conſecrare

re

re numini.Quę plane ex hoc loco aperte colligũtur,vbi Septuaginta legunt ἀναθήσεις, ideſt,conſecrabis Domino rapinas gentiũ,ideſt,fortitudinẽ facultatesq. omnes,& uires dicabis Domino uniuerſę terre. Offerunt enim Sacerdotes munera & quaſi opima Deo conſecrant ſpolia,(ut ex pſal. 67.cõſtat)ad ornatũ & cultũ domus Domini:cum omnes gentiũ facultates ad illius dignitatẽ ſplendorẽq; traducũt.

Sed ex hoc loco, & ex his quę a S. Cyrillo cap. 41. in 5
Eſaiam adducuntur, omnes homines admoneri debẽt, ne eccleſiam temere deludant,aut eius leges, vt habẽt Septuaginta uiri παραμονήσωσι, ideſt, trãſgrediantur:cũ inde ſumma gentium & regnorum uaſtitas ab ipſo Propheta,& prędicta & ſubſequuta ſit:Quam plane regnorum orbitatem Michęas cap. 5. ne ab illo recedamus,uaticinatus fuit his uerbis. *Exaltabitur manus tua contra tribulantes te,* ideſt,eccleſię poteſtas grauiſſima erit,eorum more qui manus nimium quantum extollunt, ut maiori impetu pugno collidant:uel aliter,ſublimis erit eccleſię manus contra hoſtes, cum manus Domini longe in altum elata, nullis humanis uiribus oppugnari poſſit. Addit Michęas: *Et erit in illa die, dicit Dominus,auferam equos tuos de medio tui, et diſperdam quadrigas tuas,*ideſt,omnia belli robora,quibus ſe aduerſarij tueri poterant funditus demoliar; *et perdam Ciuitates terræ tuæ,et deſtruam omnes munitiones tuas.*Quę quidem omnia ob ſacerdotum contemptum euenire,ex Deuteronomio cap. 33. conſtat. Vbi cum Leuitici generis incolumitati precaretur Moyſes,dixit:*Benedic Domine fortitudini eius, et opera manum eius ſuſcipe,percute dorſa inimicorum eius, et qui oderunt eum non conſurgant.* Hęc quidem mala eccleſię inimicis impẽdent, cũ eorum dorſa ob eccleſię contemptũ,a Domino ualidiſſime trãſuerberentur,uis roburq. deprimatur,ut uix tandem refici, aut in priſtinũ ſtatum reſtitui, ob ſcelus perpetratum poſſint.Quod etiam Zacharias cap. 14. aperte prędixit his uerbis:*Et hæc erit plaga qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ pugnauerunt aduerſus Hieruſalem.Tabeſcet caro uniuſcuiuſq; ſtantis ſuper pedes ſuos, & oculi eius con*

tabeſcent

tabeſcent in foraminibus ſuis, & lingua eorum contabeſcet in ore ſuo. Hęc verò paſſos nō eſſe Romanos, qui Hieruſalē demoliti ſunt, cunctis perſpicuum eſt: *Nos autem dicemus*, vt ait Hieronymus in huius loci commentarijs, *omnes perſecutores, qui afflixerunt eccleſiam Domini, vt taceamus de futuris cruciatibus, etiam in præſenti ſeculo recepiſſe quæ fecerint. Legamus eccleſiaſticas hiſtorias: quid Valerianus, quid Decius, quid Diocletainus, quid Maximianus, quid ſæuiſſimus omniū Maximinus, & nuper Iulianus paßi ſint, & tūc rebus probabimus etiam iuxta literam prophetiæ veritatem eſſe completam, quod computruerint carnes eorum, & oculi contabuerint, & lingua in pedorem, & ſaniem diſſoluta ſit:* hæc ille. Tertullianus lib. ad Scapulam idē affirmat: *Vigelius, ait, Saturninus, qui primus gladium in Chriſtianos egit, lumina amiſit. Claudius Herminians: Cælius Capella, & alij peſte vaſtati, vermibus ebullierunt.*

6 Sed quibus armis hoſtes depellere, & eos qui eccleſiam vexant impugnare poterimus? Iſtud plane Paul. 2. ad Corint. 10. aperte demonſtrauit: vbi arma noſtra quibus gentium munitiones ſolo æquamus, *nō carnalia, ſed potētia Deo*, ideſt, Dei gratia valida appellauit. Quid? non ne Chriſtus gladium ferreum manu Petri exercendum cōtulit eccleſię? plane quidem: ſed Paulus carnalia arma nominat, (vt S. Cyrillus homilia ad Ioannem Antiochenum, & Ioannes Caſſianus collatione 7. cap. 5. interpretati ſunt) *non infirma, aut imbecillia.* Sunt quidem aliqua eccleſiæ arma corporalia, ſed non infirma aut inualida, cum temporalia omnia uetuſtas conficiat, aut vis ſubruat. Ferrum ſi exerceas, conteritur; ſi nō exerceas, rubigo interficit. eccleſię vero arma quò magis exercentur, firmiora fiunt; & quo magis intra vaginam Petri recondūtur, eo magis ſplendent: quibus eccleſia pro communi omnium ſalute communita felicius decertat, & regum munitiones ὀχυρώματα ideſt, *flagitia, faſtuoſas vires, & tumorem deprimit; & omnes efferentes ſe captiuant,* αἰχμαλωτίζοντες (vt interpretatur Theodoritus in huius loci commentarijs) quaſi belli impetu proterit. *In promptu enim vlciſci* ſolita eſt eccleſia *omnem inobedientiam ſui,*

cum omnis fidelium obediētia adimpletur. Vlciſci inquā poteſt ἐκδικοῦσα, & iuſte de hoſtibus ſupplicium ſumere, & pœnas iudicio perſequi, & omnia perpetrata ſcelera acerrime vendicare, cum plenitudo gentium in eccleſiam introierit. Tunc enim deſtructa atq; ſubuerſa ſunt regna peccatis obnoxia; vt in locum ſuperiorum quæ deſtructa ſunt extruerentur ea, quę cum eccleſiaſtica veritate conuenirent.

Solet enim Dominus, qui in æternum regnaturus eſt, in 7
iuſtos Prīcipes a ſuo ſtatu & poſſeſſione deijcere, vt iuſtos & prudētes ſubſtituat. Solet etiā commutare, *& eos Reges facere* (vt legimus Daniel. 2. cap.) qui egregie & ſapienter populis pręſcribent. Quod Eccleſiaſticus cap. 10. explicauit his verbis: *In manu Dei poteſtas terræ, & execrabilis omnis iniquitas gentium, & vtilem rectorem ſuſcitabit in tempore ſuper illam:* ſubiungit: *Regnum a gente ingentem transfertur propter iniuſticias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos. ſedes Ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis. Radices gentium ſuperbarum erefacit Dominus, & plantauit humiles ex ipſis gentibus, terras gentium euertit Dominus, & perdidit eas vſque ad fundamentum; arefecit ex ipſis & diſperdidit illos, & ceſſare fecit memoriam eorum à terra.* Et cap. 40. eandem ſententiam repetens ait, *Subſtantiæ iniuſtorum ſicut fluuius ſiccabuntur, & ſicut tonitruū magnū in pluuia perſonabunt. Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos, & radices immundæ ſuper cacumen petræ ſonant,* ideſt, magno cum fragore corruent, & diſſoluentur, & quaſi impetu quodam e cacumine petræ profundentur. Qui quanto ceteris omnibus magnitudine anteſtant, vt ait Lactantius lib. 7. tanto maiori decidunt lapſu, quia plus habent ponderis ad ruinam, quia ſunt ceteris altiora. Sic etiā propheta Eſaias cap. 40. de Principibus qui ad ſummum gradum dignitatis creuerunt vaticinatus eſt: *Dat,* inquit, *ſecretorum ſeruatores quaſi non ſint, iudices terræ velut inane fecit. Equidem neque plantatus, neque ſatus, neque radicatus in terram truncus eorum, repente flabit in eos, & aruerunt, & turbo quaſi ſtipulam auferet eos.*

Enim uero ſolet eſſe terrori mortalibus calamitas & interitus regum, quos ſæpe Dominus ſtatim initio imperij de medio tollit, antequam prolem generent, aut ſobolem relinquãt. Qui etiã ſępe ſuis viribus collapſi, aut inteſtino peccati malo preſſi, ad regimen alterius imperij recidunt; & amiſſa libertate ad alterius ditionem reuoluuntur. Quod malum propter grauia peccata comminabatur Hieremias cap. 17. his verbis: *Fortitudinẽ tuam, & omnes theſauros tuos in direptionem dabo, excelſa tua propter peccata in vniuerſis finibus tuis. Et relinqueris ſola ab hæreditate tua, quam dedi tibi, & ſeruire te faciam inimicis tuis, in terra quam ignoras.*

8 Hanc vero poteſtatem, quam Dominus obtinet, ſæpe prophetis & ſacerdotibus concedebat, ut eius vice imperia commutare, & ea quæ nequitia inualeſcente, in deterius prolabebantur, ſubuertere atque demoliri poſſent. Samuel Dei præcepto, Dauidem in regem inunxit, quamquam Saulem defleret. Achias Salonites Ieroboamo prædixerat, decẽ Tribubus præfuturum. Elias inũxit Aſael regem ſuper Syriam, & Iehu regem ſuper Iſrael; & Eliſeum pro ſe in prophetam, eo ſane conſilio, vt qui fugiſſet manus Aſael, occideret eum Iehu; & qui manus Iehu euaſiſſet, interficeret eum Eliſeus. Præterea Ozias rex ab Azaria Pontifice ex templo excluſus & regno deturbatus eſt, & in eius locum Ioatham filius ſuffectus. Athalia ſacerdotis iudicio interfecta eſt, Ezechias regno expulſus fuit, & ab alijs eius ditio occupata, quemadmodum Eſaias cap. 22. prędixerat. Tandem Hieremias hãc plenam in omnes gentes & regna poteſtatem aſſecutus eſt, vt euellendi, deſtruendi, ac deuaſtandi regna, auctoritate fungeretur; quẽadmodum cap. 1. conceptis verbis docuit Propheta. *Ecce conſtitui te hodie*, inquit Dominus, *ſuper gentes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.* & cap. 45. eandem ſententiam exprimens ait: *Hæc dicit Dominus, ſic dices ad eum. ecce quos ædificaui ego deſtruo, & quos plantaui ego euello, & vniuerſam terram hanc.*

1. Reg. 15.
2. Reg. 22.
3. Reg. 19.

Etenim ob peccata deſtruuntur regna, ob pœniten-

tiam & preces rurſus ſtabiliuntur, atque firmantur, vt idē Hieremias cap. 42. eſt auctor: *Si quieſcentes*, inquit, *manſeritis in terra hac, ædificabo vos, & non deſtruam; plantabo, & non euellam, iam enim placatus ſum ſuper malo quod feci vobis.* Hæc uero loca quæ ex Hieremia adducimus, in Chriſto & eius miniſtris fuiſſe completa, Origenes in Matth. cap. 16. tractatu 1. demōſtrauit. Neque enim propheta gentes diſſipauit, aut regna deſtruxit; ſed potius hęc omnia impleri cępe runt in Ieſu Chriſto Domino noſtro, quem conſtituit Dominus hæredem vniuerſorum, & omnibus gentibus & regnis præpoſuit, vt ſubuerteret peſſimos quoſque, & rurſus ædificaret optimos. Eidem ſententiæ Origenis S. Gregorius Nyſſenus in lib. de incredulitate Iudæorum adſtipulatus eſt his verbis: *Ecce, inquit, conſtitui te ſuper gentes, et Regna. Quæ verba de Hieremia non intelliguntur: nam quæ regna ſtirpauit, aut quas gentes perdidit? Verum hæc de Chriſto Domino dicta ſunt.* Præterea Idacius clarus Hiſpanus lib. 3. aduerſus Varimandum hunc Hieremiæ locum de Apoſtolis interpretatus fuit: Quos, inquit, Pater apud Hieremiam cap. 1. ſuper gentes conſtituit, Chriſtus eoſdem ad Euangelium prędicandū conſtituit, & Spiritus ſanctus eos cōſtituit epiſcopos regere eccleſiam Dei: idem prorſus orientalis eccleſia per Illirycum diſperſa ad Symmachum Papā conſcripſit his verbis: *Neque in eradicando aut diruendo, ſed in plantando atque ædificando potius ſecundum B. Hieremiam, magis vero ſecundum Saluatorem mundi Chriſtum, in cuius ille extitit typo, tibi poteſtas eſt tradita; in ſoluendo quoque diu vinctos ad imitationem Magiſtri.*

Theodotus Anſiranus in Homil. habita in die Ioannis Euangeliſtæ ſacro, Hieremię ſententiam ad ſacerdotes tamquam ad animarum medicos retulit. Qui vt omnem malitiam corruptionis e medio tollant, ſæpe putridum mēbrum abſcindunt, vt ſanitatem inducant: *Quod plane genus medendi nouum non eſt*, inquit, *ſed antiquum, & ab initio vſurpatum. Hac enim ratione ſancti Patres venerandam hanc eccleſiam hactenus curarunt, et conſeruarunt. Obtinet enim ſacerdos,*

gladium non vt lædat, ſed vt medicinam afferat; quod ipſum ſuperna gratia inſinuans, quondam Hieremiam ita affabatur: Conſtitui te hodie ſuper gentes, et ſuper regna vt euertas et deſtruas, diſperdas et diſſipes, & ædifices & plantes. Etenim ſi tabes maior fuerit quam vt curationem admittat, tum demum membrorum ſectio præſens eſt medicina. Hæc Theodotus. ſed liceat paululũ in hac re immorari, vt totam hanc veritatem apertius detegamus. Primum enim arbores aridæ & infrugiferę ideo euellũtur, vt nouellę propagines & traduces ſerantur: dein de ædes quę motu concuſſæ ruinam agunt, ad fundamenta vſque deijci ſolent, vt elegans ædificatio extruatur: ſic ut pietas commode in animis hominum insereretur, Apoſtolorum auctoritate regna, quę iam peccatorum magnitudine quaſi grauiſſima mole laborabant, diſſipata fuerunt, & ſpiritu oris Ieſu, (vt ait Paulus 2. ad Theſſa. cap. 2.) deſtructa, & aduentu pręſentiæ ſuę diſſipata; vt illa extruerentur regna, quæ maxime eccleſiaſticę veritati cõſentirẽt. Quod Iudęis accidiſſe ſatis in aperto eſt, quibus euulſis, ac regno depoſitis, nouum eccleſiæ regnum ex gentibus collectum fuit, ut Eſaias cap. 61. prędixit his verbis: *Et vocabũtur in ea fortes iuſtitiæ, plantatio Domini, ad glorificandum, & ædificabunt deſerta a ſeculo, ruinas antiquas erigent, & inſtaurabunt ciuitates deſertas, diſſipatas in generationem & generationẽ.* & paulo poſt: *Et ſtabunt alieni, & paſcent pecora veſtra, & filij peregrinorum agricolæ, & vinitores veſtri erunt.* Quę plane eccleſię euèniſſe D. Hieronymus lib. 17 in Eſaiam demonſtrauit, cum regno Iudęorum ſubuerſo, illius etiam demolitis parietinis (vt ait Smaragdus Abbas in collectaneis) & malis male mulctatis & perditis, peregrini fuerint principes conſtituti, qui aratro fidei gentes domarent, & ad bonorum operum vbertatem traducerent. Quorum ope & pręſidio ſemper ędificatur eccleſia, & ſtabiliori nixa fundamento, eleganter erigitur; cum gentes ſint Dei ędificatio, atque agricultura. Quod ex prima ad Corinth. 3. & Matth. 21. ſatis aperte conſtat: vbi regnum a Iudæis ablatum eſt, vt genti facienti iuſtitias traderetur.

Hæc

Hæc tamen ſumma uis, quæ collata fuit vni prophetę, cui tantum vnius populi cura imminebat; æquioribus de cauſis Petro totius orbis pręfecto (vt ait Chryſoſt.ĩ Matt. homil.55.)concidi oportuit,vt eccleſię aduerſarios depellere,& ab omni dignitate deijcere poſſet. Quo argumento Innocentius I I I. vir pietate & doctrina ſingularis vſus eſt,c.Solitæ.de maioritate & obediẽtia,his verbis.*Potuiſſes prærogatiuã ſacerdotij ex eo potiſſimũ intelligere, quod dictũ eſt, nõ a quolibet,ſed a Deo,nõ regi, ſed ſacerdoti, nõ de regia ſtirpe, ſed ſacerdotali proſapia deſcẽdẽti, de ſacerdotibus videlicet, qui erãt in Anathot;Ecce cõſtitui te ſuper gẽtes et regna, vt euellas et diſſipes, ædifices, et plantes* Idẽ in epiſtola ad Colaianẽ regẽ Bulgororũ,& Bonifacius octauus cap.Vnã ſanctã.de maior.& obed. & Ioãnes xxII. ca. 1. de conſuetudine, inter communes affirmarunt.S.Bernardus epiſtola 237.ad Eugeniũ ita docuit: *Locus in quo ſtas, terra ſancta eſt, locus Petri eſt,locus principis Apoſtolorũ,locus illius eſt quẽ cõſtituit Dominus Dominũ domus ſuæ,& principẽ oĩs poſſeſſionis eius.Conſtitutus es ſuper gentes,vt euellas & deſtruas,& ædifices & plantes.*& epiſt. 236.*Ridiculũ an miraculum?humuncionẽ aſſumi ad præſidendum principibus,ad imperandum epiſcopis,ad regna & imperia diſponenda.* Hildegradis in epiſtola ad Eugenium: *Tu qui es in vice Chriſti ſedens in cura eccleſiaſticæ cathedræ, vt graues,& impios tyrannos eradices.* & Petrus Bleſenſis Archidiaconus Bathonienſis ad Cæleſtinum III. nomine Reginæ Angliæ ſcribens in epiſt. 144. ita habet:*Gentes diuulſæ,populi lacerati,prouinciæ deſolatæ, & generaliter tota occidentalis eccleſia confecta lamentis,in ſpiritu cõtrito, & humiliato ſupplicat vobis quem conſtituit Deus ſuper gentes & regna,in omni plenitudine poteſtatis.*Alexander de Hales 3. parte,q. 40. membro 2. *Nullus eſt maior Papa in ordine ſpirituali, cuius poteſtas eſt ſuper ſæcularem, ſicut ſpiritus ſupra corpus: Vnde, & Hieremias dicit:Ecce conſtitui te ſuper gentes & regna vt euellas, deſtruas, ædifices,& plantes.* 9

Habet enim eccleſia ad id præſtandum ſuas uires robuſtiſſimas, habet ſua cornua firmiſſima,quibus hoſtes impe-

tere,

tere, & in eos irruere poſsit iuxta illa eccleſiæ verba 1. Reg. 2. *Exultauit cor meũ in Domino, & exaltatũ eſt cornu meũ in Deo meo.* Etenim eccleſię regnũ (vt ex S. Greg. Angelo mius monachus in huius loci cõmentarijs collegit) a Chriſto vbiq. ſublimatũ, & in uaſtiſsimas orbis regiones effuſũ, vſque adeo diuino ſupercæleſtiq; robore firmatũ eſt: ut poſſit cuncta mundi regna confringere. Quemadmodũ Dauid pſal. 74. prædixit, *Et omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iuſti.* Hinc Origenes homil. 1. in lib. regum, quędam iuſtorum cornua, & quaſdam firmiſſimas vires eſſe commemorat, quibus in hoſtes irruant, vt eos a gradu & dignitate deturbẽt. Iuxta illud Dauid vaticinum, quod Apoſtolis accõmodauit Paul. 2. ad Corin. 4. *In te inimicos noſtros ventilabimus cornu: & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nos. Neque enim in gladio ſuo* Apoſtoli *poſſederunt terram, & brachium eorum non ſaluauit eos, ſed dextera tua, & illuminatio uultus tui, quoniam placuiſti in eis.* ergo Apoſtoli cornibus, ideſt, potentia & robore excutiebant hoſtes, eosque uelut armis ſic cornibus impetebant, & uultus illuminatione proſtrabant. vultus vero illuminationẽ appellat Nicephorus in catena pſalmorum εὐδοκίαν, ideſt, benedictionẽ, vel ἀγαθὸν δόγμα, ideſt, Chriſtianę religionis inſtitutum, in quo inimici ſtrati, afflicti euerſique ſunt populi, vt illæ gentes plantarentur, quę fructus exhiberẽt ſanctitatis. Ex quibus facta eſt uinea dilecto meo in cornu filio olei, ideſt, in ſublimitate atque potentia, ut ait S. Eucherius in quæſtionibus ueteris teſtamenti: cum tanta futura eſſet Chriſti & eccleſię auctoritas, vt ſub eius ditione redigendum eſſet Romanum imperium.

10 Quo cum nihil fortius ac firmius eſſet, ab eccleſia tamẽ obtritum fuit, quemadmodum alia omnia imperia. Quod ex Daniele cap. 2. conſtat his uerbis: *In diebus regnorum illorum ſuſcitabit Deus cæli regnum* ſubiungit Propheta, *cõminuet autem, & conſumet uniuerſa regna hæc.* Quem locum enarrans Guitmundus Auerſanus epiſcopus (lib. 3. de ſacramentis) de eccleſia Romana interpretatus eſt: *Danielis,* inquit,

inquit, *locus de noſtra eccleſia luce clarius conſtat. Ipſa enim imperium cum adhuc ferreum eſſet, cætera regna contriuit: ipſa quoque quod nemo negare poteſt, in ipſo palatio Imperatoris domũ obtinet Saluatoris.* Heſychius pſal. 2. vt in catena græca legimus: *A regno,* inquit, *Chriſti, & ab eius poſſeſſione in terminos vſque terræ diffuſa, finem terreni Principatus impoſitum.* Quod plane ab Aggęo propheta cap. 2. ſub Zorobabelis nomine prædictum eſt his uerbis: *Subuertam ſolium regnorum, & conteram fortitudinem regni gentium, & ſubuertam quadrigam & aſcenſorem eius, & deſcendent equi, & aſcenſores corũ: uir in gladio fratris ſui.* In primo enim Chriſti Domini aduentu, ut dicit Hieronymus, fortitudo gentium, imperiumque Romanorum reſiſtentium Euangelio contritum eſt ab eccleſia, ob illorum ſcelera, quibus illam impugnabant. enimuero numquam reges eccleſię dignitatem agnoſcunt, niſi cũ eam uiolare contendunt, numquam experiuntur uires illius, niſi cum eas impugnant. Quod S. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 38. explicauit his uerbis: *Regnum terrenum ſæculi huius cuius figuram reges gerunt, qui Saram polluere permiſſi non ſunt, non expertum eſt, nec inuenit eccleſiam eſſe coniugem Chriſti, niſi cum eam uiolare tentauit. ac propterea correctum eſt in poſterioribus regibus, ac eam honorauit munere, quam corruptioni ſuæ ſubdere in prioribus nõ eualuit.* hęc Auguſtinus. Qua uero ratione id acciderit, Otho Friſingenſis epiſcopus lib. 6. cap. 36. demonſtrauit his uerbis: *Hic quod ſupra diſtuli, ſoluendum puto, quod Romanum imperium ferro a Daniele comparatum, pedes ex parte ferreos, ex parte fictiles habuit, donec a lapide præciſo ſine manibus exciſum ſubrueretur. Quid enim aliud ſine melioris ſententiæ præiudicio, lapidem ſine manibus exciſum, quam eccleſiam capitis ſui corpus ſine carnali commixtione, ex ſpiritu ſancto conceptum, & virgine natum; ipſam quoque ſine humana operatione, & ex ſpiritu & aqua regeneratam dixerim?* & paulo poſt: *Hoc nimirum regnum circa finem ſuum, quem pedes ſignificant, ferreum propter Martem, fictile propter conditionem, in ea parte quæ firmior fuit, eccleſia percuſſit; dum regem orbis, non tamquam orbis Dominum vereri, ſed tam*

quam

quam de limo per humanam conditionem factum fictilem, gladio anathematis ferire docuit. Neque vero ſolum ſpirituali: ſed etiam materiali gladio regna ab eccleſia ſubuerſa fuiſſe, idem eſt auctor lib.7. in prologo his verbis: *Non deſunt qui dicant Deum ad hoc regnum* (loquitur de imperio) *imminui voluiſſe, vt eccleſiam exaltaret. regni quippe viribus, & beneficentia exaltatam & ditatam nemo ambigit eccleſiam: conſtatque non prius eam in tantũ regnum humiliare potuiſſe, quam ipſo ob amorem ſacerdotii euiſcerato ac uiribus exhauſto, nõ eius tantum, ideſt, ſpirituali, ſed ſuo proprio, ſcilicet materiali gladio percuſſum deſtrueretur.* & ſubiungit: *niſi forte Dauid imitari cogitent, qui Philiſtæum primo virtute Dei ſtrauit, poſtmodum proprio gladio iugulauit.* hęc Otho, licet fluctuanti, & ancipiti animo dixerit, cum eſſet imperatoris partibus ob eius cõſanguinitatem addictiſſimus. Idem etiam in vita ſancti Eugilberti Colonienſis legimus apud Surium, qui cũ parũ publicis iudicijs ualuiſſet, robur militare ſibi adiunxit, ut melius imperata ſeruare cogeret. Iudam Machabęum imitatus, *qui primum proprio gladio*, hoc eſt, *ſpirituali*, *deinde gladio pugnauit Apollonij*. ſic eccleſia præter ſpiritualem gladium ſæpe temporalẽ exercet, vt impetus aduerſariorum comprimat.

11 Sed fortaſſe aliquis ſuſpicari poterit, ab eccleſia hanc iniuriam Romano imperio impoſitam fuiſſe, ut regnum tãta mole fundatum, & tamdiu per tot tantosq. viros auctũ, tantis denique opibus firmatum, ab illa, tot cladibus diſperſum ac comminutum fuerit. Quod plane olim apud Chriſtianos maximam inuidiam conflauerat, cum crederent Ethnici, tantum imperium a Chriſtianis commutatum, & religionis cauſa perturbatum fuiſſe. Sed ab hac calumnia nos eripit Sibylla, quæ de imperij ſede translata, atque de illius commutatione cecinit, his uerbis:

Poſt hæc imperium regni ſuccedet alius
Excellens, ducibus multis ex occiduiq;
Parte maris multis quod terris imperitabit,

Et quatiet multos, & regibus omnibus olim
Terrorem faciet multis ex vrbibus auri
Diripiet, multum argentiq; deinde per orbem
Aurumq; argentumque erit, ornamentaque rurſum
Mortalesq; prement; tandemq. exiſtet eorum
Caſus, & iniuſto incipient turgeſcere faſtu:
Continuoq; in eis ſcelerum vis magna vigebit,
Donec venturum ſit Regnum vigeatq. poteſtas.
Tum demum ſurgent magni præclara Dei gens,
Qua duce mortales omnes bene viuere diſcent.

Legant Lactantium lib. 7. cap. 15. qui ait: *Nihil humanis viribus laboratum eſſe, quod non humanis æque viribus deſtrui poſſit.* præſertim cum Romanę Vrbis tempora in ſuas ętates diſtributa fuerint, adeo ut poſt tot bella, quæ ſenectutem denotabant, ſtatim eſſet futurus interitus, ut Lutius Florus & Liuius lib. 1. demõſtrarunt. Legãt Gregoriũ Nazianzenum oratione 1. contra Iulianum, vbi imperiũ Romanum potius in incolumitatem ſalutemq. commutatum fuiſſe, quã ab eccleſia depreſſum memorat: cuius verba ſunt hæc, re lata a Nicephoro, lib. 9. cap. 50. *Non enim tot gentes imperio eius ſubactæ*, loquitur de Conſtantio, *non reſpub. ab eo rite gubernata, non ingens pecuniæ uis, non gloriæ amplitudo, non quod regum princeps atque imperator & eſſet, & nominaretur; nõ aliæ denique res quæcumque ad hominũ felicitatem facere uidentur: tantũ eum exhilararũt, quantũ & nos quidẽ per ipſum, per nos autẽ ipſe, & apud Deũ, & apud homines laudẽ conſequeretur, & conſtans nobis perpetuaq. permaneret poteſtas. Etenim cum alia multa, tum illud præcipue ſublimius imperatorieq; magis quam alij multi conſiderans, optime nouerat, cum Chriſtianorum rebus, vna Romanum auctum eſſe imperium, atque aduenięte Chriſto, rerum adminiſtrationem ad vnius principis, quod antea ex omni parte factum numquam fuerat, ſummam poteſtatem perueniſſe. Quam ob cauſam merito ille mihi viſus eſt res Chriſtianorum tantopere ornare, & fouere.* hęc ibi.

Theodoritus lib. 2. cap. 19. & 20.

Prętе-

Præterea Iuſtinianus nouel. 6. & Zeno imperator in Enotico,ideſt, in pacis & vnitatis edicto,(quod Illuſtriſſ. Cardinalis Sirletus in omnem poſteritatem commendandus, mihi tranſcribendum, ex vetuſtiſſimo originali conceſſit)nullum maius imperij prędidium eſſe confirmat, quam fidei catholicę præſidiũ,& eccleſię matris obſequiũ: ἀρχὴν καὶ σύστασιν, δύναμίν τε, καὶ ὅπλον ἀκαταμάχητον τῆς ἡμετέρας εἰδότες βασιλείας τὴν μόνην ὀρθὴν καὶ ἀληθινὴν πίστιν, καὶ ἐκκλησίαν μητέρα τῶν ἡμετέρων σκήπτρων. ideſt, *Imperij noſtri initium, conſeruationem, tum autem opus, & armaturam inexpugnabilem, perſuaſum habemus eſſe ſolam rectam & veram fidem*, & ſtatim addit: *eccleſiam matrem imperialium ſceptrorum eſſe, a qua imperia defenduntur.* Quod quidem non tãtum ad preces,quę ab eccleſia pro imperij incolumitate fundũtur, referri debet, vt Renatus Coppinus retulit,ſed etiã ad munus gubernandi,quo epiſcopi populis & principibus præſcribebant, vt conſeruationẽ,armaturã & pręſidiũ firmiſſimũ obtinerẽt. Ergo cauſa euerſionis Populi Romani eccleſia non fuit,neque ipſa concitauit in imperium ſeditionem atque diſcordiam,nec fecit ut barbaræ nationes exercitibus in immenſum coactis Vrbem uexarent, leges commutarent,diriperent omnia,& execrabilia molirentur; *Sed potius eorum nefaria ſcelera, & ſæua crudelitas pene barbara*, vt ait Saluianus lib. 5. de gubernatione Dei, *fecit per vniuerſum Romanum orbem iam non eſſe Romanos.* ſed quamdiu in ipſis Imperatoribus viguit religio Chriſtiana hęc retinuit imperium: cum uero facta cõuerſione proſcriptiones orphanorũ, viduarum afflictiones, pauperum cruces, nefarię libidines exercebãtur, & Chriſtiana fides, & Pontificum dignitas impugnabatur, euerſio totius Vrbis ſubſecuta eſt. Quod plane ex Othone Friſingenſi lib. 3. cap. 17. aperte conſtat, his uerbis. *Petro Romæ ſucceſſit Linus, et eiſdem diebus cum maxima ciuium & ſociorũ clade duo oppida in Britannia capiuntur, eodem tempore Romani milites plurimis in oriente amiſſis prouincijs, ſub iugũ Parthorũ ignominioſe venerũt. et nota quod Apoſtolis in Vrbe martyrio corona*

Nicephorus lib. 16. cap. 12.

tis, ſecularis huius Vrbis dignitas minui cœpit. In ea vero Rep. quidquid fuit religionis & pietatis, Pontifex Romanus vna cum imperij ruinis cuſtodiuit, atque ſeruauit; vt inde Romanum etiam nomẽ pietatis cauſa vna cum imperij ſublimitate propagaretur.

Quare merito poſt regnorum tot, tantasque mutatio- 11
nes, poſt tot imperiorum clades quę ob peccatorum molem ſubſecutæ ſunt, ſolus totius, ut ait Eccleſiaſticus cap. 10. χρηστὸς, ideſt, vtilis conſtitutus eſt rector, qui omnium commodo & vtilitati proſpiceret Pontifex Maximus, eccleſiæ vniuerſalis Antiſtes, & totius orbis gubernator: qui imperium, quod a Chriſto ſuſcepit, in futuras æternitates propagauit. Quod plane in illo Dauidis ſolio præfiguratũ eſt, ſupra quod, vt docet S. Epiphanius hęreſi 29. contra Nazaræos, *Epiſcopi ſummi*, ideſt, Romani Pontifices, *ſederunt ſerie & ſucceſſione perpetua: Sedet*, inquit, *Chriſtus ſuper thronum Dauid, cuius regnum trãſtulit, & ipſum vna cum ſummo ſacerdotio ſeruis ſuis ſummis Pontificibus eccleſiæ Catholicæ, largitus eſt*. quod S. Paulinus Nolanus epiſtola 42. docuit his carminibus.

Habes & illud: ventris a fructu tui
In ſedibus ponam meis.
Qui ſermo Dauid quamlibet Chriſtum ſonet,
In Chriſto, & illis concinit
Qui Chriſtiani corporis collegio,
In ſede ponentur Dei.

Ex quo loco aperte conſtat, regnum Dauid diſtinctum fuiſſe à ſacerdotio ueteri: quia, illud quod a Dauide propagatione deſcendebat, ad Pontifices Romanos Chriſti vicarios translatum traductumque eſt: ſacerdotium vero nõ ita. Præterea, Abachuc prophetæ verba cap. 3. Chriſti regnum maxime commendarunt. *ſplendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius*. ſplendor Euangelica doctrina eſt, vt ait Seuerus lib. 3. contra Grammaticum; cornua vero re-

gna ſunt mundi, quæ ſub Chriſti, & eccleſię manu proteguntur, & ob flagitia diſſipantur. Hinc contriti ſunt *montes ſæculi*, vt ait Nicolaus presbyter de Iudæorum uaſtitate agens: *incuruati ſunt colles mundi*, idest, *contraria, & aduerſa mundi Imperia*, quę a Chriſto & Apoſtolis protrita profligataque fuere, *maledictum eſt ſceptris, capiti etiam bellatorum* male precatum fuit, quod ceu ingẽs turbo excitatum erat, ad eccleſiam deuaſtandam: quæ vt ait S. Hieronymus de Iuliano, Maximiano, Valeriano, Decio, Domitiano, & Nerone perſpeximus; a quibus amputata, & pręſciſa ſunt regna, vt ſępe Dei indignationem non tardam, ſed præſentem videamus. Poſtea ſubſecuta ſunt alia ſupplicia, quæ in Imperatores Græcos exercuit Chriſtus, exercuit Romana eccleſia, a quibus ob hæreſes graues animo conceptas imperium ſublatum eſt, & in occidentales partes eccleſię Romanę auctoritate, magna bonorum omnium acclamatione traductum, ut Helmoldus Buzouienſis lib. 1. chronicon cap. 3. docuit.

Tandem uero ob eorum Græcorum impietatem atque diſcordias, cum eccleſia Romana temere ſuſceptas, funditus quidquid reliquum erat imperij, Nicolai V. prædictione, ut ait Gennadius Scholarius diſceptatione 4. barbarica Turcorum immanitate extinctum atque deletum fuit. Caueamus autem & nos, ne fortaſſe ob ſcelera noſtra in eccleſiam tamquã in noſtram matrem perpetrata, iram Dei prouocemus; ne ve ob eius conteptum numen, & ſacerdotij neglectum, cui ſæpe minus iuſto deferimus, in grauem Dei indignationem incurramus.

CAP.

CAP. VI.

Apoſtolos eam poteſtatem aſſecutos, qua pro temporum opportunitate ſubditos populos cogerent.

SVMMARIVM.

1 *Apoſtolos œconomia vſos fuiſſe, vt omnes gentes ad fidei veritatem pertraherent.*
2 *Quæ nam ſit œconomiæ ratio ex patrum ſententia.*
3 *Paulum in gubernanda eccleſia miris artibus vſum.*
4 *Paulum ab omni adulatione, & auaritia liberum.*
5 *Paulum, honorem & cultum, quæ magiſtratibus debentur, a ſubditis depoſcere potuiſſe.*
6 *Paulum benignitate potius quam imperio, quod iure exercere poterat in ſubditos, vſum fuiſſe.*
7 *Pauli lenitatem minus iuſto apud Corinthios ualuiſſe.*
8 *Paulum ſe ipſum cum pſeudoapoſtolis contuliſſe, ut ſuam poteſtatem efferret.*
9 *Paulus tametſi poſſet cogere, & in faciem cedere Corinthios, abſtinuit tamen.*
10 *Epiſcopi quamquam poſſent imperio vti, merito tamen Paulum imitantur.*

RESTAT tandem, vt hanc auctoritatem, 1 quam in eccleſia reperiri docuimus, etiam tunc Apoſtolorum tempore, in vſu fuiſſe demonſtremus; vt inde oracula illa veterũ prophetarum a nobis allata firmitatem habuiſſe conſtet. Quod plane non leuis erit induſtriæ, cum ex Apoſtolorum ſcriptis, benignitas & mãſuetudo, potius quam ſeueritas diſciplinę colligatur. Præterea pręceptum Petri prima epiſtola cap. 5. quo epiſcopis iniunctum eſt, ne dominatum in clerum exercerẽt, ſed

mitius,

mitius,& ſuauius ſe gererent; multos induxit in eam mentem,vt crederẽt,Apoſtolos numquam graui imperio uſos fuiſſe. Item Pauli voces ad Rom. 13. & 2. ad Corinth. 5. quibus nimium ſe ſubmittit Apoſtolus, vt quod gentium vtilitati conferret, precibus & obſequio impetraret. Sed nihil hęc officiunt,nihil hæc Pauli teſtimonia veritati obſunt, immo vero multo magis eam, quam prophetarum prędictione auctoritatem docuimus,comprobant. Quod ex veterum patrum præſcripto colligitur: nam cum Apoſtoli per orbem Euangelium diuulgarent, atque omnibus hominibus deferrent; diligenter cuiusuis mores & ingenium explorabant,vt eos facilius ad ſe ſe allicerent,& cõmodius Chriſti pręceptis imbuerent. Quam gubernandi rationem Clemens Alexan. lib. 1. pędagogi, cap. 1. S. Gregorius Nazianzenus de laudibus Athanaſij, & Tertullianus varijs in locis œconomiam appellant. Quę licet nomine latino careat, vt ait Quinctilianus lib. 3. cap. 3. a Martiano tamen,& Sulpitio Victore in Rhetoricis,diſpẽſatio ſiue diſpoſitio dicitur. Quod nomen fortaſſe ex ędificandi arte deductum eſt. Quę primum ordinatione, deinde diſpoſitione conſtat, mox eurythmia & ſymmetria, & decore,& diſtributione,quam Græci, ut ait Vitruuius lib. 1. de architectura,œconomiam appellant. Inde hoc nomẽ illis recte accommodatum eſt,qui cum domi præſint,apte omnia collocant, & ſingulis ſingula munera diſtribuunt, ne aliqua domi perturbatio excitetur.

Eadem ratione in eccleſia Catholica œconomia ſum-
2 ma prudentia dicitur, in verbi diuini prædicatione,muneriſque adminiſtratione. Qua nihil improuide, nihil temere,nihil denique niſi omnibus circunſtantijs accuratiſſime perpenſis & exploratis, dicendum faciendumque eſt. Vt omnia conſilia, cogitationeſque ad unius charitatis ſcopum referantur,nec quicquam proponatur, quam eccleſiæ ędificatio, & plebis commiſſa cuſtodia. Vnde Clemens Alexandrinus lib. 1. pędagogi, cap. 1. prius ſermonẽ προτρεπτικὸν κατὰ τὰ ἤθη, ideſt, exhortatorium ad mores hominum,

minum informandos, deinde ὑποθετικὸν, ideſt, præceptoriū ad actiones moderandas, mox παραμυθητικὸν, ideſt, conſolatorium ad paſſiones, & perturbationes ſedandas, inſtituendum eſſe affirmat: vt vnuſquiſque his quaſi virtutibus recte compoſitus, facilius in omni rerum genere uti poſſit. Quod S. Gregorium miraculorum opificem, feciſſe legimus apud Nyſſenum; qui populis multa ex gentium hilaritate, & uoluptatibus cōcedebat, ut paulatim illos a veteri conſuetudine reuocaret. S. Chryſoſtomus, & Theophilactus in Apoſtolorum acta, hanc gubernandi artem συγκατάβασιν nominant, ideſt, uirtutem, qua Apoſtoli ſe ſe ad tempora & perſonas accommodabant, & vna cum illis ſe ipſos dimittebant, ad eorum mores, & captum compoſiti. Vnde Paulus 1. ad Corinth. 9. omnia omnibus ſe factum eſſe fatebatur, benignis benignum & manſuetum, ſuperbis ſeuerum & grauem, vt eorum deprimeret audaciam.

Quod eleganter S. Gregorius Nazianzenus Apologe- 3
tico 1. Pauli leges recenſens explicauit his verbis: *Pro alijs Paulus gratias agit, alios acrius perſtringit, alios gaudiū ſuū, et coronā nominat, alijs amentiā obijcit, alijs rectū iter tenētibus comitē ſe adiungit, alacritatēq. eorū ſua alacritate excitat, alios male incedentes coercet, ac reprimit. Nunc ab eccleſiæ cœtu proſcribit, nunc charitatem firmat, nunc eundem ſubuehit, nunc virgam minatur, nunc clementiæ ſpiritum protendit, nunc apud ſublimes, & arrogantes ſe effert, nunc ſe apud humiles deijcit. Hic eſt ergo ſpiritualis præfecturæ finis, nimirum priuata vtilitate poſtpoſita, aliorum commodis inſeruire.* hęc ille.

Fateor quidem Apoſtolos lenitate & manſuetudine 4
vſos potius quam imperio fuiſſe, potuiſſe tamen ſeueritatem in ſubditos exercere, ipſemet Paulus de ſe & alijs Apoſtolis prædicat, prima ad Theſſalonicenſes 2, his uerbis: *Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, neque occaſione auaritiæ, Deus teſtis eſt, neque quærentes ab hominibus gloriam, neque a uobis, neque ab alijs, cum poſſemus vobis oneri eſſe vt Chriſti Apoſtoli. ſed facti ſumus paruuli in medio veſtri*

tam-

tamquam ſi nutrix foueat filios ſuos. Duo illa à quibus ſe omnino ſolutum ac liberum aſſerit Paulus, maximam in eccleſia calamitatem inuchunt. Adulatio & πρόφασις πλεονεξίας idest, occaſio auaritię, vel pecunię ſtudium, πρόφασις enim, vt ait Oecumenius, inſtitutum noſtrę voluntatis ſignificat, ſiue animi propoſitum diuitiarum gratia; Simoniam noſtri Theologi rectè dicunt: Paulus ne Chriſti fieret deſertor, adulando hominibus non placebat. Pręterea nullius pecunias expetebat, non bonis, non veſtibus (vt ait Actor. 20) non theſauris, & hęreditati inhiabat, ne auaritiæ ſordibus corruptus, auctoritati Euangelij derogare videretur: ſi illud venale exhiberet, aut propinaret, aut ſibi ſuiſque commodis, potius quam aliorum vtilitati & ſaluti conſuleret.

5 Prætereà nec gloriam, idest, auctoritatem, & laudem (vtrumq. enim ſignificat δόξα. 2 ad Corint. 9. de hac eadē re agens) ab ipſis gentibus ambiebat, id enim ea vox ζητοῦντες ἐξ ἀνθρώπων δόξαν, ſignificat, candidatorū more ad honores, & dignitates contendere. Etenim fruſtra Paulus eam ſibi conciliaſſet gloriam, quam ipſe & ampliorem, & illuſtriorem habebat; non populi conſenſu delatam, ſed muneris auctoritate collectam: de qua illicò gloriatur his verbis. *Cum poſſemus nobis oneri eſſe, vt Chriſti Apoſtoli,* & quod inde excurrit. Ecce auctoritatem & imperium, quod ſibi ſuo iure vendicat Paulus: *Cum,* inquit, *vobis oneri* ἐν βάρει idest, cum dominatum, & auctoritatem exercere, immo & vobis prę̨ſcribere poſſemus; noluimus quemquā grauare, & nullius imperium noſtro pręſtantiori & nobiliori imperio deprimere. Ita interpretatur hunc locum catena gręca in Paulum, S. Ambroſius, & Oecumenius: & ex Clemente lib. 1. Stromatum, & ex Origene tract. 31. in Matth. facile hic ſenſus colligitur, ſi eius inſtitutum quiſquam diligenter expendat. Quod etiam ex Syra editione apertū eſt, quæ ita latine redditur; *Cum poſſemus in auctoritate eſſe,* ex recentioribus Dionyſius, Caietanus, & Sanctius huic interpretationi ſubſcribunt. Primaſius, Petrus

Lombardus, S. Anſelmus, S. Thomas, Vgo Carenſis, Lyranus, & Bruno *Honori* legunt: quaſi Paulus de ſua dignitate & principatu ageret. Quę plane cum totius orationis ſerie aptiſſime conueniunt; tum propter id quod proxime antecedit, *Neque quærentes ab hominibus gloriam*; tum propter id quod ſubſequitur: nihil enim Paulus de collectis, nihil de victu exquirendo eloquitur; ſed tantum ſui auctoritatem & grauitatem extollit, ſe alijs Apoſtolis non inferiorē, aut minorē nominans: *Sicut ceteri*, inquit, *Apoſtoli*, ideſt, ſicut ſolent ceteri Apoſtoli in honore, & pretio eſſe, ſic ego eodem iure mihi id vendico. Sunt enim Apoſtoli Chriſti legati, Chriſtique præfecturam gerunt. Quare merito debent a ſubditis populis honorari ob ampliſſimam perſonam quam ſuſtinent.

6 Eamdem ego poteram, inquit Paulus, poteſtatem exercere, & maxime a uobis coli, non tamen paſſus ſum: *ſed facti ſumus paruuli in medio veſtri*. Ego facile ad eorum ſenſū accederem, qui ἤπιοι, blandi, lenes, mites, manſueti, beneuoli legi poſſe arbitrantur; vt legit Clemens Alexandrinus lib. 1. pędagogi, cap. 5. Chryſoſtomus in hunc locum Pauli, Syriaca, & Complutenſis editio; & duo codices latini, quos citat Lucas Burgenſis: niſi omnia fere noſtra latina exemplaria patribus omnibus latinis ſtipulantibus, reclamarent. Ita enim nutricis ſimilitudo, qua vtitur Paulus facile ad amuſſim adaptari poſſet. Etenim nutrix cum fouet & alit infantes, amplexibus fouet & allicit; blāditijs & lenitate eorū amorem cōciliat, tum omnia ab ipſis beneuolentię iure depoſcit. Sic Paulus depoſito graui ſupercilio, ſeueraq. perſona, viſcera miſericordiæ indutus, gentes benigniſſime fouebat, & quam plurimum ad Dei prouehebat pietatem, vt eos magiſtri iure in officio contineret.

Præterea hęc eadem Apoſtolorum auctoritas ex cap. 7 11. epiſtolę 2. ad Corinth. aperte deducitur: vbi cum Paulus ſubditis contemptui eſſet, ut ſuam apud eos auctoritatem, ideſt, apoſtolicam tueretur, ſe ipſum commendat: & ſuam poteſtatem cum pſeudoapoſtolis conferens, nedū

illis

illis inferiorem,ſed multo etiam potiorem & prǽſtantiorē nominat. Nam cum Pauli demiſſio & lenitas qua vtebatur,minus iuſto apud Corinthios valuiſſet,immo in dedecus ac probrum verteretur, coactus fuit Apoſtolus,ut ſui aduerſus detractores auctoritatem retineret, ſe cum his qui ὑπερλίαν ſunt Apoſtoli,ideſt, qui vehemēter in munere apoſtolico elaboraſſe videbantur,uel cū pſeudoapoſtolis,qui hanc poteſtatem nimium ſibi arrogabant, conferre,atque in ſuas laudes quas ipſe inſipiētiam nominat, erumpere: *Quoniā multi*,inquit, *gloriantur ſecundū carnē,& ego gloriabor. libenter enim ſuffertis inſipientes: ſuſtinetis enim ſi quis uos in ſeruitutem redigit,ſi quis deuorat,ſi quis accipit, ſi quis extollitur,ſi quis in faciem vos cædit,ſecundum ignobilitatē dico, quaſi nos infirmi fuerimus in hac parte, in quo quis audet, audeo & ego.*

8 Pſeudoapoſtoli maximam gratiam ſibi atque auctoritatem apud Corinthios conciliarunt, quod faſtu & graui ſupercilio poteſtatem,quam ipſi apoſtolicam vocabant, tuerentur. Tumidum enim & ſuperbientem Corinthiorū animum ſimili tumore & grauitate pellexerant,quę apud tumidos plurimū valebat. Paulus e contra, ſumma benignitate & manſuetudine vſus,ea de re deſpectui, & offenſioni; immo multis quaſi pro ridiculo erat. Quare cum de ſua,ideſt,de Euangelij auctoritate aliquid detrahi ęgre ferret, ſuam cum pſeudoapoſtolis poteſtatem contulit, tum in deferendo Euangelio,tum in perferendis laboribus. Vrget vero Corinthios, quod facile poſſent ſuā inſipientiā, ideſt, ſe ſuas laudes recenſentem æquo animo pati: cum multo grauiora a pſeudoapoſtolis libenter & ex animo perferrent. Qualia vero iſta eſſent,ſtatim enumerat: *Si quis vos in ſeruitutem redigit*, καταδουλοῖ, ſeruitute vos deprimit, & faſtu quodam & imperio rebus veſtris vtitur;facile tanquam ſerui obſequimini: *Si quis vos deuorat*, κατεσθίει, comedit,& veſtras facultates abſumit,quod crimen pſeudoapoſtolorum familiare erat,qui domos viduarum comedebāt, vt ait Matth.cap.23.easq. omnino ſubuertebant: *Si quis ca*

pit, vt ad alios alio tranſmittat: *Si quis extollitur*, & faſtu in vos inſurgit: *Si quis in faciem vos cedit*, & aperte & palam veſtram libertatem & dignitatem impugnet, αἰσχεσθε, ſuſtinetis, & ęquo animo patimini quidquid vobis oneris imponitur: *Secundum ignobilitatem dico*, ἀτιμίαν, ideſt, ad veſtram refero contumeliam, vt rubore ſuffundamini, cum tales ſummo honore ſuſpiciatis Apoſtolos, qui vos in faciem cedant. Non quidem quod Corinthi vapularent, aut palmis cederentur, ſed quod per ſummum dedecus ęqua fere ſuſtinerent, ac illi qui pugnis eliduntur.

Subiungit Paulus, vt eorum errorem grauius impugnaret, qui dimiſſius & abiectius de eius poteſtate cogitabant: *Quaſi nos infirmi fuerimus*, hoc eſt, vt eſt auctor Origenes tractatu 31. in Matth. Chryſoſtomus, Photius, & Oecumenius in hunc locum, quaſi ita eſſet imbecille, & abiectum Pauli munus, vt eadē quę illi ſubditis imponere poterant, ipſe non poſſet. Poterat quidem in quo quis audebat & ipſe audere; mulctare, capere, & vt ſibi obſequium & cultum deferrent, imperare & cogere, debite ſecundum fidei inſtitutionem, abſque tyrannidis nota. *Nihil enim minus fuit*, vt cap. 12. ait, *ab his qui ſunt ſupra modum Apoſtoli*. ab his tamē abſtinuit, *non quia infirmus, aut quod ea ſui iuris non eſſent* (vt ait Origenes) *aut quod minus ea facere poſſet. ſed ut praeſtaret quae docuerat, & modeſtiam moderationemque animi, qua ſubditos erudiendos praeceperat, ipſe primus ceteris exemplar factus comprobaret.* 9

Quam plane animi lenitatem ceteri omnes epiſcopi pro temporis opportunitate imitati ſunt, & inter eos Baſilius, qui benignitate & manſuetudine omnium hominum animos ad ſe ipſum ſuſpiciendum impulerat: cuius ingenium & egregias in gubernando artes Nazianzenus oratione de eius laudibus ita deſcripſit: πρὸς τὴν θεραπείαν, οὐ τέχνῃ δουλούμενος, ἀλλ' ἐυνοίᾳ σφετεριζόμενος. οὐ δυναστείᾳ πειρώμενος, ἀλλὰ τὸ δύνασθαι μὲν φείδεσθαι δὲ προσαγόμενος. τὸ μέγιστον, τοὺς πάντας ὑπῆχθαι τῆς αὐτοῦ διανοίας, ideſt, *non callide ſibi homines ſeruire cogens, ſed beneuolentia deuinciens. Ne-* 10

que imperij Regia poteſtate vtens, ſed poteſtatis repreſſione, & ignoſcēdi facilitate pelliciens, cũ omnes ipſius ingenio cōcederent. Ergo imperium quod gerebat, tanta benignitate temperabat, vt omnes ſua ſponte eius dicto cederent. Hęc conabatur Paulus a Corinthijs impetrare, quæ tamen cum ægre ob pſeudoapoſtolorum impedimenta cōſequeretur; voluit ſuę cauſſę patrocinium ſuſcipere, & ſuam poteſtatē diffuſius multo quam tanta Apoſtoli lenitas poſtulabat, cō mendare: *Inſipiens*, inquit, *factus ſum; vos me coegiſtis.*

CAP. VII.

Pauli tantam fuiſſe poteſtatem, vt non ſolum ſeruum retinere; ſed etiam temporales pœnas tranſgreſſoribus poſſet imponere.

SVMMARIVM.

1 *Paulum Oneſimum ſeruum retinere potuiſſe.*
2 *Apoſtolum imperandi poteſtatem habuiſſe.*
3 *Paulum iure optimo tametſi imperare poterat, expectaſſe tamen minorum aſſenſum.*
4 *Paulum repugnantem Philemonem cogere potuiſſe.*
5 *Paulum maluiſſe obſecrare, quam cogere.*
6 *Mancipia ob eccleſiæ ſeruitium imperatorum reſcriptis libertate donantur.*
7 *Epiſcopi poteſtatem quam habent, ſumma cum benignitate coniungere debent.*
8 *Epiſcoporum munus eſſe inſectandi hoſtes, & oues puniendi.*
9 *Subditis propter delicta, non ſolum ſpirituales, ſed etiam corporales pœnas conſtitutas.*
10 *Dure ſiue* ἀποτόμως *punire, eſt graues nedum animi, ſed etiam corporis pœnas imponere.*

Quam

Qvam grauem Apoſtoli poteſtatem & dominatũ in ſubditos exercuerint, ex varijs ſcripturæ teſtimonijs demonſtrauimus: nunc operæpretium eſt, vt aliquibus exemplis & probationibus totam hãc diſputationem illuſtremus. Primum igitur Paulus ſuæ grauiſſimæ poteſtatis ſpecimen præbuit, cum Oneſimum retinere, & in libertatem (erat enim fugitiuus & ſeruus) vendicare voluit. ſed eius uerba, quæ plurimum auctoritatis habent, in mediũ adferamus: *Propter quod*, inquit, *multam fiduciam habens in Chriſto Ieſu imperandi tibi quod ad rem pertinet, propter charitatem magis obſecro, cum ſis talis ut Paulus ſenex, nunc autem vinctus Ieſu Chriſti.* 1

2 Imperandi cogendique facultatem habebat Apoſtolus, cum omnia ſuo iure a Philemone omnium bonorum, immo ſuimet debitore poſſet exigere. Iſtud enim ea verba, παῤῥησίαν ἔχων ἐπιτάσσειν σοὶ τὸ ἀνῆκον, ideſt, fiduciã *imperãdi tibi quæ ad hanc rẽ pertinẽt*, aperte oſtendũt. Varij tamen auctores trium catenarum in Paulum, quæ in Bibliotheca Vaticana ſeruãtur, ita hunc locum cõmuni cõſenſu reddiderũt, ἐπάρχῃ τὸ σοὶ πρᾶγμα πρέπον, ideſt, vt ſenſum exponã, Paulũ iubere, & more magiſtratus quod decẽs erat, vel ſua ad hanc rem intereſſet, imperare potuiſſe: nã imperare nõ ſimpliciter retinere eſt, ſed aliquid maius, & grauius. Id enim ἐπαρχεῖν & quod inde deducitur ἔπαρχος prætorem, & prouinciȩ præſidem agere, apud Plutarchum in vita Galbæ ſignificat.

3 Ergo aſſeuerabat Paulus ſumma animi conſtantia, ut eius ſenſum ex Theophilacti interpretatione colligamus, τὸ ἀνῆκον, *quod ad rem pertinet*, ideſt, ſe iuxta illud quod ſui muneris erat, poteſtatem habuiſſe iniũgendi, & quod grauius eſt, imperandi: cum res eccleſiȩ munerique apoſtolico conſentaneas non ſolum præcipere, ſed etiam ita imperare poſſet, vt ad eas exequendas, omnes charitatis cauſſa cogerẽtur. Sed ſine Philemonis cõſilio, ideſt, niſi ille prius

Paulo acquieſceret,nihil fieri oportere,ne veluti ex neceſ ſitate bonũ eſſet; ſed voluntarium.ergo Paulus expectauit Philemonis aſſenſum,non vt aliquid facultatis ex eius vo luntate ſibi accederet,ſed vt ad laudem & meritum occaſionem daret,ex qua ille maximam a Deo gratiam,ob benefactum promereri poſſet.*Etenim maiores*, vt ait S. Anſel mus Cantuarienſis in hoc loco,*debent ſpectare minorum ſen tentiam, vt quæ ex neceſſitate ſunt, melius fiant*. Qua de re Paulus ex charitate, ut ait Sedulius in huius loci commentarijs, obſecrabat; ſed cauſſa ipſa fiduciam tribuebat imperandi.

4 Quod ſi Philemon ſententię Pauli reſtitiſſet,*κατ' ἀνάγκην τὸ ἀγαθὸν*,ideſt *bonũ fieret neceſſarium*,non voluntarium,ſed coactum;cum Apoſtolus eum reluctantem (non quidem vinculis verberibuſque, quibus in ſontes ciues magiſtratus animaduertunt)ſed charitatis imperio coegiſſet. longe namque differunt ſanctum & iuſtum;multaque charita tis impulſu neceſſario fiunt, ad quæ tamen vindicatiua iu ſtitia coerceri non poſſumus;vt S. Baſilius in reg.249. per compendium tradita,elegantiſſime docuit. Ergo poterat ex fiducia charitatis ſeruum retinere, non tamen decorũ eo tempore aut iuſtitiæ ſęculari conſonum videbatur (cũ oporteret eos tunc omnem adimplere iuſtitiam)ne in primis eccleſię exordijs,Apoſtoli ſeruos ſollicitare, intercipere,corrumpere (quod 82. Apoſtolico Canone aperte cautum eſt) aut plagiarium crimen committere viderentur.Sed cum Philemon religionem Chriſtianam ſuſcepiſſet,& ſacroſancto eſſet mancipatus miniſterio, erat enim ſenex & presbyter, plane eſſet iniurius, & eccleſię incom modus, & Chriſti inſecutor, ſi ſententiæ Pauli, qui ad ædificationem eccleſię Oneſimi ſeruitio utebatur, reſtitiſſet.

5 Nam quemadmodum ſeruus immitem atque ſuperbũ dominatum a ſe pellere poteſt,ſi ad Chriſti naturæque præceptum violãdum cogeretur:cũ teſte S. Baſilio huius ſententiæ auctore,(in regula 11.diffuſe explicata,& 114.

per

per compendium tradita) alienus dominus ſequendus nõ ſit, ſed vitandus & fugiẽdus, ne Chriſti & naturę iura violentur; eadem plane cauſa, oppoſita tamen ratione, Philemonẽ repugnantem, & eccleſię ædificationi noxium, & ſuæ immo Chriſti ſententię præuaricatorem, cogere potuiſſet Apoſtolus, & Oneſimum vt obedientem, & Reip. neceſſarium retinere. Maluit tamen exorare propter charitatem, & propter Philemonis ſenectutem deprecari, ob quam ſenes orandi potius quam increpandi ſunt, vt ille vberiorem gratiam, ob ſtudium maximum erga eccleſiam promereretur. Quod ſi ius ſuum proſequi voluiſſet Apoſtolus, propter labores Euangelij cauſſa ſuſceptos, poterat a Philemone Pauli ſubdito omnia iure ſuo depoſcere. Sic enim inquit Paulus: *Vt non dicam tibi quod & te ipſum mihi debes.* Græci legunt προσοφείλεις, ideſt, inſuper præter alia multa, tu ipſe mihi maxime deuictus, & obnoxius es. *Quare ſi tu meus es, et tua omnia mea ſunt, Oneſimus quoque, qui tuus eſt, meus eſt, quo poteram tamquam meo vti, & ei non ſolũ debita remittere, ſed etiam absque tuo conſenſu retinere: ſed voluntati tuæ relinquo, ut mercedem habeas ignoſcendo.* hęc Hieronymus tom. 6. totidem verbis explicauit, a quo Sedulius in huius loci commentarijs, mutuatus eſt.

Sed hinc ſerui nullas dominis fraudes ſtruere, aut quaſi ex compoſito, rationes ad vindicandam propriam libertatem nectere poſſunt. Iam enim ex Iuſtiniani imperatoris nouella 5. & 123. cap. 26. & domini Leonis ſapientis conſtitutione, ob ſolam pietatem, ſi ſerui fuerint per triennium Monaſterij ſeruitio mancipati, inuito domino liberi ſunto: cum in his, quę ad Dei cultum & religionem ſpectant, vt ait Iuſtinianus, neque maſculi aut feminę, neque liberi, & ſerui diſcrimen exiſtat. Quę noua conſtitutio a ſacris canonibus comprobata eſt, cap. Si ſeruus. diſt. 54. Vbi monachi, qui latent, poſt triennium liberari debent, clerici uero qui palam omnium ante oculos ſunt, & in publico viuunt, poſt annum libertate donantur, vt ibi glo. docuit verbo, poſt triennium, & ex l. ſeruus inſcio, cũ

l. ſe-

l.ſequen.de fideiuſſ.conſtat. Epiſcopi uero per ordinis ſuſceptionem liberantur a conditione ſeruili, cum omnium fiant patres, & ampliſſimam dignitatem aſſequãtur; vt Iuſtinianus nouella 81. & Theodorus Balſamõ in Photium titulo 1. cap. 36. docuerunt. Nam cum epiſcopi Imperatorum & Regum eligantur patres, ab aliena poteſtate eximi neceſſe eſt. §. filius familias inſt. quibus mod. ius. patr. pot. ſol. Quod etiam cõfirmat Harmenopolus lib. 1. promptuarij titulo 14. §. ſeruus tutor, & titulo 18. eiuſdem lib. §. vltimo. Sic etiã qui ordinati fuerunt presbyteri inſcio domino, amiſſo peculio, libertate donãtur, cap. ex antiquis. 53. diſt. quo ſi careant, in diuinis officijs ſuis dñis tenẽtur inſeruire 54. diſt. cap. Freq̃ues, & cap. De ſeruorũ, de ſeru. nõ ordinan. & ibi glo. verb. deponatur. Ergo vt vnde digreſſi ſumus noſtra reuertatur oratio, ex his facile conſtat Pauli ſublimis poteſtas, quam non ſolum in res ſpirituales, ſed etiam in temporales exercuit. Qua tamen ita moderate vſus eſt, ut ſępe maluerit obſecrare, quam cogere. hinc 2. ad Corinthios cap. 2. orare non deſtitit, vt illi peccatorem maxime mœſtum ac contriſtatum in charitate confirment: cum tamen (vt ait Theophilactus in eius loci enarratione) id Paulus ſuo iure, ideſt, Apoſtolico imperare potuiſſet.

7 Vnde eccleſię pręſides Pauli veſtigia ſecuti, ſummam auctoritatem quam obtinent, præſertim ſi fratres obſequũtur, ſumma cum benignitate coniungunt: quod ex pſalm. 44. aperte deducitur: *Accingere*, ait Dauid, *gladio tuo ſuper fæmur tuum potentiſſime, ſpecie tua & pulchritudine tua, intende, proſpere procede, & regna. Quorſum*, ait Tertullianus lib. contra Iudęos, & lib. 3. contra Marcionem, *ad bellum ſuſcipiendum de feſtiuitate oris, & de labiorum gratia Imperatori blandimur? propter lenitatem*, ait, *& iuſtitiam, deducet te mirabiliter dextera tua. At quis enſe accingitur, & non contraria lenitati atque iuſtitiæ exercet?* ideſt, *dolum aſperitatem, & iniuſtitiam, propria ſcilicet negotia præliorum?* nimirum quia eccleſiaſtici pręſides propter ueritatem, manſuetudi-

nem & iuſtitiam dextera fidei & pręſidij ſigno mirabiliter deducuntur, ut deſertores quamprimum eccleſiæ præceptis paruerint, ab omni alia cogitatione ad optimam mentem ac uoluntatem traducant. Quod plane fiet, dummodo in ea crimina pertinaciter prolapſi nō fuerint, quę acriori ignis gladijque amputatione coercenda ſint.

Idem prorſus aſſeuerat S. Bernardus lib. 3. de conſideratione ad Eugenium, his verbis: *Age*, inquit, *puta tempus putationis adeſſe, accingere gladio tuo*, ideſt, *gladio ſpiritus, glorifica manum & brachium dexterum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis; ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Non mediocris eſt iſte principatus, domabis lupos, ſed ouibus non dominaberis, paſcendas namque oues, non premendas ſuſcepiſti.* Ergo Romano Pontifici ad quem ſcribit, & alijs epiſcopis premere lupos, hoſtes inſectari, eis dominari: & cenſoria ſeueritate notare, permiſit Bernardus; cum tamen oues punire, caſtigare, coercere, & in eas acriter uindicare, increpare, alligare non vetet. Quis ergo non uidet, hac poteſtate non ſolum conatus ciuium inhiberi, ſed etiam incurſiones impetusque hoſtiles reprimi, & eorum improbitatem retundi? 8

Hanc eamdem ſeueritatem diſciplinæ exercuit Paulus 2. ad Corinth. 13. ut nihil non eius teſtimonio confirmetur: *Non enim*, inquit, *aliquid poſſumus aduerſus veritatem, ſed pro veritate*. ſubiungit: *Ideo hæc abſens ſcribo uobis, ne præſens durius agam, ſecundum poteſtatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in deſtructionem*. Quid minatur Paulus ſe durius acturum? quid acerbius tractaturum, ſecundū poteſtatem ſibi a Domino collatam? An aliquis penes ſe remanebat dominatus? An aliqua alia erat auctoritas, cum iam Corinthū, qui nouercæ vitium intulerat, ex cōmunione hominum proſcripſiſſet, reliquos uero ob hanc cauſam dure & acerbe fuiſſet inſecutus? Id arbitror: nam Theodoritus, Hieronymus, Primaſius, Oecumenius, Sedulius, & alij 1. ad Corinth. 4. ex illis uerbis Pauli: *Quid vultis* 9

tis in virga veniam ad vos? collegerunt quamdam ſummam vim & vindicandi poteſtatem in Apoſtolis extitiſſe, qua in grauiſſimis eccleſiæ negotijs, etiam appoſitis temporalibus pœnis uterentur, Petri exemplo, qui Ananiam & Saphirã Spiritui ſancto mentiẽtes, morte mulctauit, vt egregie S. Gregorius lib. 1. regeſti, epiſtola 24. explicauit. Qua plane uſus poteſtate Paulus, Act. 13. Elymam Magum tenebris & denſiſſima caligine obcæcauit, vt ei cæcitas mentis lumen afferret; & de ſuſcepta cauſſa quam nimis perfracte defendebat, rei periculum depelleret. Sic Elias ignem de cęlo deduxit, vt ſuos aduerſarios adureret, & Apoſtoli ignem de cælo depoſcebant, cum poteſta- Marc. 4. Luc. 9 n. 54
tis fiducia facile deduxiſſent, niſi eos Chriſti ſermo prępediret. Nec minoris auctoritatis fuiſſe epiſcopos quã Elias aut Apoſtoli fuerint, Lucifer Caleritanus lib. 1. pro S. pag. 37.
Athanaſio affirmauit his verbis: *Ad dictum Eliæ deſcendens ignis honoratos quinquagenarios abſumpſit. Vides hodie poſſe o Conſtanti quia perſequaris Athanaſium, vel nos te fulmine, aut quolibet modo extinguere, ſed reſeruari ad hoc, vt aut te conuertas, aut omnis poſſit impleri iniquitatis tuæ menſura. Quolibet* inquit, *modo*; quia quæuis pęna illis impoſita & quoduis genus mortis iniunctũ eſt, minus eſt illo ſcelere quod aduerſus eccleſiã cõmittunt. ſed hac poteſtate uſos fuiſſe Apoſtolos & epiſcopos, ad ędificationẽ & nõ ad deſtructionẽ, Paulus 2. ad Corint. 10. teſtatus eſt. Nam licet nõnulli, vt ait Theophilactus in locum Pauli, pœnas grauiſſimas ſcelerum perferrent; ille tamen uel in eorum vtilitatem & cõmodum referebãtur (vt de Anania, quem per mortem puriorem in cælum trãſmiſſum fuiſſe docuit Origenes tract. 8. in Matt.) uel in aliorum exemplum, & ędificationem redundabant.

10 Sed hunc locum Pauli ex eodem Paulo diffuſius exponamus: *increpa*, inquit ad Titum 1. *eos dure, vt ſani ſint in fide.* Qui amabo sũt dure, vel ut legit Lucifer Caleritanus, acriter increpãdi? Qui acerbioribus remedijs redarguẽdi? Illi ſane qui fidẽ profeſſi ſunt, ſed cũ fide, vt ait Theodori-

tus,cõſentientẽ uitã non agunt. Illi dure & aſpere abſcindẽdi, qui Chriſti præcepta eiuſq. diſciplinã lędunt. Illi qui vniuerſas domos ſubuertũt, & *turbida ſubuerſione*, vt ait Abacuch cap. 2. quaſi amatorio poculo mentẽ eripiũt; docẽtes quæ nõ oportet, turpis lucri gratia, mẽdaces, inobediẽtes, vaniloqui, & mentiũ ſeductores, *gladio ignis*, vt ait Clemẽs Romanus lib. 2. *vrendi & ſecandi*, ne ſui exẽplo totum corpus cõtagione inficiant. ſed id quod Latinus interpres *dure*, hac voce tranſtulit, Græcus codex ἀποτόμως, reddidit, quę ſignificat aſpere & dure, cęſim membratimq. decerpere, vt grauitas & diuturnitas pœnę indicetur. Quod plane ex eadem ſacra ſcriptura colligitur: nam Sapientiæ 5. ira grauis & dura, ἀπότομος, ideſt, rigida & acerba nominatur; & impetus quo Rex omnia proculcat, & grauitate iudicij examinat & condemnat, Sapient. 11. ἀπότομος, dicitur, & ad Rom. 11. ἀποτομία, Dei ſeueritas appellatur, quæ benignitati opponitur: qua voce Paul. 2. ad Corint. 13. his locis, ſibiq. conſentiens ſæpe vſus eſt, dicens: *Hæc ſcribo vobis ne dure agam in vos*, ἀποτόμως, ideſt, ne vos acrius plectam, vel de vobis ſicut de Elyma, temporales pœnas iam meritas ſumam; quibus homines carnales maxime commoueri ſolent; ne ve tamquam vaſa in contumeliam conſtructa, comminuam; ne pro delictorum menſura, multiplicia pœnarum genera augeam, addam, cumulem. Quam poteſtatem ad ædificationem eccleſiæ exercebat Apoſtolus, vt ſtabilius & ſolidius Chriſti ædificium extrui poſſet.

Ex LXX interpretatione.

CAP. VIII.

Petrum non ſolum ſupra totum orbem auctoritatem accepiſſe, ſed etiam vtriuſque gladij poteſtatem aſſecutum.

SVMMARIVM.

1 Petro nulla certa Prouincia decreta, ſed totus orbis.

2 Pauli

2 *Pauli & aliorum Apoſtolorum auctoritatem, cum Petri poteſtate parem non fuiſſe.*

3 *Sine Petri conſenſu, nulli Apoſtolo Prouinciam decretam.*

4 *Concilia vniuerſalia a ſolo Romano Pontifice conuocari, cũ nihil ratũ ſine ſedis Apoſtolicæ auctoritate haberi debeat.*

5 *Petrus cum ſuper omnes virgam acceperit, cur eius ſucceſſores baculo paſtorali non vtantur.*

6 *Petrum ſimilem virgam quam habuit Moyſes aſſecutum.*

7 *Virgam Petri ſicuti Moyſis duplicem ſignificationẽ habuiſſe.*

8 *Paulum quia principatum in populo ſibi ſubiecto gerebat, vt ait Origenes, virgam habuiſſe.*

9 *Apoſtolis vſum gladij omnino interdictum non fuiſſe.*

10 *Paſſionem Chriſti gladio impediendam non fuiſſe, ac propterea eo tempore eius vſum prohibitum.*

11 *Duos gladios ſufficere, quo ſenſu hæc verba intelligenda ſint.*

12 *Armorum portatio fuit Apoſtolis imperata.*

13 *Gladium materialem eſſe in poteſtate eccleſiæ.*

14 *Gladio materiali potius vſum eſſe Petrum quam ſpirituali.*

15 *Quid ſignificet ad nutum ſacerdotũ gladium eſſe educendũ.*

16 *Arma plerumq. iuſte a ſacerdotibus fuiſſe tractata.*

17 *Imperatores nonnulli, & hæretici male de huius gladij poteſtate cenſuerunt.*

18 *In ſenſu myſtico, quid duo gladij ſignificent.*

1 Conſtat iam ſuperiori diſputatione Apoſtolos ſummam in puniendo imperandoq. vim aſſecutos: nunc operępretium eſt vt ex varijs Patrum ſententijs demonſtremus, Petro præ alijs omnibus multo omnium grauiſſimam & nobiliſſimam perſonam a Chriſto Domino impoſitam. Fuit plane Petrus a Chriſto Domino omniũ Apoſtolorũ vertex & choripheus inſtitutus, fidei eccleſięque petra & firmamentum, vt in eius prę ſidio omnia niti poſſent (vt ait Tertullianus lib. 4. aduerſus Marcionem, & S. Greg. Naziãzenus oratione de modeſtia ſeruanda, & Philippus presbyter Legatus Cęleſtini Papę in Cócilio Ephe

ſino) ne ſublato religionis & fidei fundamento, veritatis ſententiæ fluctuarent. Quod plane fuit in cauſſa, quamobrem longe maximam prę alijs omnibus Apoſtolis dignitatem adeptum patres exiſtimarent: quia vbicumque negotiorum ratio exigeret, vel rei veritas poſtularet, ille ius dicere, & pro æquo & bono ſentẽtiam ferre poſſet. Hoc certe omnes Apoſtoli in Petro agnouerunt, in quo vno maximam dignitatem poteſtatemq. aſſecuti ſunt, cum ei tamquam Doctori, & eorum qui eccleſię per fidem adiunguntur, magiſtro & anteceſſori detulerint: *Homo enim* (vt ait Iuſtinianus in edicto, quo iuris auctoritas confirmatur) *legum periti{ſſ}imus, a quo alicuius rei forma petitur* (vt ait Tertullianus lib. 1. aduerſus Marcionem) *Anteceſſor dicitur*: Qui vt alijs iuris notitia, ſic & auctoritate antecedit. Huius vero ordinis Petrum fuiſſe, Tertullianus eodem loco luculẽtiſſime demonſtrauit: *Paulus*, inquit, *adhuc gratia rudis, trepidus denique, ne in uacuum cucurriſſet aut curreret, tunc primum cum anteceſſoribus Apoſtolis conferebat*; & lib. 5. aduerſus Marcionem, *vt Paulus ſciret ſe non in uacuũ cucurriſſe, dexteras ei dederunt anteceſſores*. Quod quidem adeo verum eſt, vt ſine Petri & eius ſucceſſoris aſſenſu, nihil fieri poſſe arbitretur Sophronius Hieroſolymitanus epiſcopus, in epiſtola ſynodica ad Honorium Pontificem Romanum; cum Petrus iure ποιμένάρχης id eſt, *paſtorum princeps fuerit appellatus.* Quod etiam Baſilius Achridinus Archiepiſcopus Theſſalonicenſis in epiſtola reſponſiua ad Hadrianũ Papá huius nominis primum affirmauit, ut ex Illuſtriſſ. Cardinalis Sirleti uetuſtiſſimo exemplari græco manuſcripto traduxi. Sic enim habet: *Perlegi tuas literas Sanctiſſime Papa, ex quibus mentis tuæ altitudinem, & humilitatis profunditatem, & charitatis latitudinem, iuxta Dei diſpoſitionem agnoui. Quæ cum ita ſint, nõ debet tuus apoſtolicus animus deprimi aut conſtringi, ſed potius dilatari et diffundi, ut in te vno omnes eccleſiæ Chriſti, tãquam in perfugio & receptaculo conquieſcant. Etenim ex tuis literis uocem tuam loquentem agnoſco, non ſolum aures, ſed etiã animum peruadentem. Audiuimus te ipſum loquentem, qui omnium*

nium

nium pater es,& paſtor,immo vero & paſtorum princeps, ἀρχιποιμὴν & omnium vertex: hęc ille. Neque vero aliunde Petrũ eiuſque ſucceſſores donatos hoc nomine exiſtimo, quam a Chriſto,quem paſtorum principem idem Petrus 1.epiſtola cap.5.nuncupauit. A quo cum poteſtatem paſcendi totum gregem accepiſſet,vna cum ea paſtorum omnium obtinuit principatum, *vt ab eo* (teſte S. Cypriano lib.5. epiſtola.*6.)& epiſcoporum ordinatio,& totius eccleſiæ ratio decurreret:. De qua Chriſtus in Euangelio diſponens dixit Petro*: *Tu es Petrus,& ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam.*

Quia ergo eccleſia ſuper epiſcopos cõſtituitur*: & omnis actus eccleſiæ per epiſcopos gubernatur,epiſcopi verò a Petro tamquam a capite originem habent,& ab eo cathedræ dignitatem aſſequuntur:*merito Petrus *ἀρχιποιμὴν*, ideſt *omnium paſtorum princeps,& ποιμὴν ἀρχής*,ideſt,*paſtorũ primus*, & a Valentiniano imperatore, de ord. epiſ. *vertex epiſcopalis coronæ* dictus fuit. Eadem etiam ratione Auſonius Gallus vir doctiſſimus in Eidyllio 2. Petrum totius cathedrę inchoatorem appellauit,his verbis:

Dans aulam Stephano pretioſe dilapidato,
Dans claues ſuperas Cathedrali inchoatori,
Quin Paulum infeſtum copularis agglomeratu.

2 Etenim cum a Petro ſacerdotalis ordo deſcẽdat,vt ait Anacletus in epiſtola ad epiſcopos Italiæ, merito ab eo Cathedra epiſcopalis, immo & omnis ordo dicitur inchoatus;vt Victor Vticenſis lib.2.perſecutionis Africę,& Optatus Mileuitanus lib.2.contra Parmenianũ docuerũt. Sed Optatũ loquentem audiamus : *Scire debes in vrbe Roma,Petro primo cathedram epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, qui Cephas appellatus eſt.In qua vna Cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne ceteri Apoſtoli ſingulas ſibi quisque defenderent:* hæc ille. Quare neceſſe eſt fateamur Petro, & diffuſiorem & ampliorẽ reliquis omnibus Apoſtolis adminiſtrationis poteſtatẽ fuiſ-

ſe col-

ſe collatam, vt ex 21. diſt. cap. in illis. 2. q. 7. cap. puto, colligimus: cum ei nullus certus prǽſcriptus locus, nulla prouincia ſorte deſignata, nulla regio certo decreta, ſed vna cum Vrbe quæ tunc omnibus imperabat, totius fuerit cura orbis iniuncta: quod Proſper Aquitanicus in carminibus de ingratis, docuit his verbis:

Sedes Roma Petri quæ Paſtoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non poſſidet armis
Relligione tenet.

Glorietur licet Paulus, ſe ipſum gentium Apoſtolum; & a Hieroſolymis ad Illyricum vſque Euangelium detuliſſe; nũquam tamen ſibi ſuo iure, quemadmodum Petrus totius orbis curam vendicabit. Habuit Paulus ſuos ſibi præſcriptos terminos, habuit Andreas Thraciam & Scythiam, vt narrat Hippolytus martyr, & Græciam prędicatione illuſtrauit, vt Zonaras, & ordo primarum cathedrarum, qui apud me eſt græce M. S. & alij teſtati ſunt. Habuit Bartholomæus Indos, & ad Lycaoniam vſque penetrauit. Thomas Parthos, Medos, Perſas; & Hircanos, & Aethiopes, ad quos tandem detulit Euangelium. Habuit Iacobus Hiſpanias, quas tonitru prędicationis impleuit: vt Athanaſius Antiochenus, & Iacobus epiſcopi Arabes (quos Reuerẽdiſſimus Dominus Ignatius Patriarcha Antiochenus Romę Arabice manu ſcriptos exhibuit) & Iſidorus de viris illuſtribus, & S. Braulio Cæſarauguſtanus epiſcopus in vita B. Iſidori, & Otho Friſingẽſis lib. 3. Chronicon, cap. 15. & Ioannes Beletus in rationali, & Martinus Polonus docuerunt. Alijs etiam omnibus ſecundum cuiuſq. menſuram & regulam, ſingulatim ſua regio contigit. Solius tamẽ Petri auctoritas nullis certis terminis circumſcripta, non ſolum ſingulas, ſed omnes prouincias moderabatur, omniaq. diuina auctoritate ſibi commiſſa gubernabat: *Nos autem*, ait Paulus 2. ad Corint. cap. 10. *non in immenſum gloriabimur, ſed ſecundum menſuram regulæ,*

De viris Apoſtolorum.

qua menſus eſt nobis Deus, menſuram pertingendi vſque ad vos: non enim quaſi non pertingentes ad vos, ſuper extendimus nos, ſed ſingula diligenter perpendamus. *Non*, inquit, *in immenſum gloriamur*, εἰς ἄμετρα, ideſt, non diffuſe, ac ſine modo extollimur, & de alienis laboribus, vt ait Theodoretus efferimur, ſed *ſecundum menſuram regulæ, qua menſus eſt nobis Deus*, ἐμέρισεν, ideſt, partitus eſt nobis Dominus, atque ſingulatim diſtribuit, menſuram pertingendi vſque ad vos. Suus cuique modus & menſura præſcripta fuit, nec totus orbis, vt in eo preeſſent ſingulis Apoſtolis contigit, ſed pars. *Quibus tamquã agricolis vineam diſtribuit Deus*, vt ait Chryſoſtomus, & Theophylactus in hoc loco, *ſic orbem terrarum per ſingulas partes diſpertiuit, & aſſignauit*, vt in eas quas quiſque ſuſceperat colendas, diligenter incumberet. *Petro tamen omnes creaturæ ſunt traditæ* (vt S. Greg. lib. 7. epiſt. 95.) *cum ipſe* (vt idem eſt auctor lib. 4. epiſt. 38.) *primum ſanctæ & vniuerſalis eccleſiæ membrum fuerit, Paulus, Andreas, & Ioannes, ſingularium plebium capita*. Quod etiam S. Bernardus lib. 2. ad Eugenium, ex illo ardentiſſimo amoris impulſu, quo ſe Petrus in mare proiecit, illum nõ vnius tantum populi, ſed populorum omnium poteſtatem accepiſſe demonſtrat.

3 Etenim Petro totus terrarum orbis commiſſus eſt, & tota Chriſti familia eius curæ, & diligentiæ credita fuit, quod nulli Apoſtolorum contigiſſe legimus, ut ex S. Chryſoſtomo homil. 87. in Ioãnem, & ex Theophilacto in cap. 21. Ioannis aperte colligitur. Adeo quidẽ hæc vera ſunt, vt oriẽtalis eccleſia per Illyricũ diſperſa affirmauerit, quotidie a S. Petro, per Pontificem Romanũ doceri, & oues Chriſti per totum mundum habitabilem ſibi creditas, paſci. Et quidem merito cum nulla prouincia, nullus locus, nulla regio alijs Apoſtolis credita fuerit, niſi prius Petri conſenſus acceſſiſſet. Quod ex Lucæ capite 5. Titus Boſtrorum epiſcopus demonſtrauit: vbi cum Petrus rete copioſa multitudine piſcium redundans, ſolus extrahere ſubducereque non poſſet, alijs eiuſdem piſcationis ſocijs

Iacob.° Feuardentius in Irenæum lib 3. c. 3. nu. 3.

innuit,alios vt pręſes & rector nauiculę aduocauit vt vna ſecum operi incumberent.

Qui locus deſignabat multos futuros eſſe, quibus hic 4 piſcandi labor cum Petro communis eſſet,inter eos tamē Petrum, qui nauiculę pręerat,etiam eccleſiæ pręfuturum. Qui priſci mores uſu & conſuetudine vſque ad hęc noſtra tempora ſeruati ſunt, & Dei numine poſthac conſtanter ſeruabuntur, cum fuerint ex Petri auctoritate, & imitatione introducti. Habet enim vna cum Petro Romanus Pontifex, ut quemadmodum nihil ualidum fuit in eccleſia,niſi prius cum Petro dexteras ſocietatis prębente conuenerit:ſic nullam epiſcoporum electionem firmam, nulla decreta ualida fuiſſe,niſi prius Pontificis Romani auctoritate firmarentur. Hinc uiguit conſuetudo,ut a ſolo Romano epiſcopo omnes alij orbis paſtores ad Conciliū vniuerſale congregarentur:cum ipſe ſolus ad piſcium multitudinem ſubducendam aduocauerit ſocios,qui operi incūberent,ne retia nimium diſtenta rumperētur. Quod de quattuor Conciliis uniuerſalibus aperte conſtat in lib. a me conſcripto huius argumenti. Vnde Leo primus epiſt. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem apte demonſtrauit,nihil ratum firmumque habendum fore in eccleſia catholica,niſi fuerit Apoſtolicæ ſedis auctoritate ſancitū. Cuius rei cauſſa Nicephorus Conſtantinopolitanus epiſcopus, in epiſtola ad Leonem III. non ſolum a Romano Pontifice informationem fidei,ſed etiam confirmationem dignitatis expoſtulat. Cum illi qui a Romanæ eccleſię gremio recederent,tamquā oues errantes, aut drachma perdita, aut mortui diu in ſepulchro iacētes cenſerētur,ab Hadriāno I. in epiſtola ad Baſilium Theſſalonicenſem, & in epiſtola reſpōſiua eiuſdem Baſilij ad Hadrianū, cuius verba ſunt hęc,ex meo manu ſcripto libro traducta: *Quemadmodum pater abalienari a ſe filios videns; eos fouet ac congregat;ſic ſub tuo paterno ſinu congreges opus eſt, eamq. curā diligenter perficias,vel tamquā paſtor ſic oues aberrantes reuoces,& vt paſtorū paſtor tua arte paſtoria,& diuina ſcientia tibi collata nos doceas;*

ne ue

ne ue ipſum gregem aberrantem negligas,ſed potius omni conatu prouideas,& diligenter labores,ut in eos qui male affecti ſunt ſanitatē inducas. Audiuimus nos oēs a te uocari,et ſtatim tuis uocibus flexi ſumus. Quam obrem omnes illos alienos filios & adulterinos cenſemus,qui a tua paſtorali arte recedunt,aut tuam paternam uocem audire negligunt,aut qui non reuocantur paſtoris uocibus, quibus nos omnes reuocare contendis , iuxta Domini noſtri Ieſu Chriſti verbum , Mercenarij & alieni uocem eius non audiunt,ſed fugiunt illum. Quid igitur Beatiſſime Pater nobis illa parabola de erranti oue,& drachma perdita adaptari poterit? ne id quidem,cum neque lapſum me fuiſſe , aut a tuo gremio receſſiſſe aſſeuerare poſſim. Enimuero numquam effugi tua diuina monita,neque a tua paſtoris cura receſſi, ne vituperaremur . Stamus quidem,& id Dei gratia,in B.Petri confeſſione firmi & immoti;& ſicut ille confeſſus eſt, & publice ſua fidei profeſſionem euulgauit; ſic & nos idem confitemur & prædicamus,nihil quidquam innouantes earum rerum,quæ a ſanctiſſimis patribus aperte & palam decretis firmatæ ſunt. et paulo poſt : *Illos ergo Beatiſſime Pater, qui a te recedunt,nominas oues errantes,drachmā perditam,& fœtidum cadauer. Nobis vero hæc prorſus non competunt,qui nullum aliud fundamentum præter id quod poſitum eſt agnoſcimus,& hac eadem tibi pro honore deferimus. Nec ſolū ego,ſed etiam omnes qui in magno & Apoſtolico throno & pariter in alijs eccleſiis conſederunt,in quibus fidei ſermo annuntiatur.* et paulo poſt: *Cū igitur omnino Chriſti imaginē et exēplar referas,tū propter throni magnitudinē,tū propter ſcientiā,tū propter tuæ vitæ ſplēdorē,tuū erit omnia ſcādala dirimere et auferre,et in ipſis eccleſiis ſtatuere quod apud oēs vnū et indiuiſum ſit.* hęc Baſilius ſcripſit,in illis temporum tumultibus, in quibus Conſtantinopolitana eccleſia diſſidium atque diſcordiam aduerſus eccleſiam Romanam moliebatur. hoc tamen odium Conſtantinopolitanę eccleſię,Anna Comnena Alexij Imperatoris filia in eccleſiam Romanam euomuit, multiſque mendacijs compoſitis turpiſſimum errorem aperte prodidit. Illa enim cum de Gregorio VII.cōquereretur , muliebri furore correpta, uix ſibi temperare

potuit quin hęc effutiret: *Fruſtra*, inquit, *gloriantur Latini Papam toti orbi praeeſſe, cum ſceptrum & totius imperij admini-ſtratio,& eccleſiaſtici throni prærogatiua, Conſtantinopolim trãſlata ſit; cum idem etiam Carthaginẽſi ſynodo placuerit, ut omnes totius orbis eccleſia, nouæ Romæ ſedi ſubiecta ſint*. hæc illa. Sed quo in concilio hæc prærogatiua conceſſa, quibus ſtipulantibus patribus hæc auctoritas collata fuerit Conſtantinopolitano Antiſtiti, numquam auditum. ex quibus ſatis ſuperque Martini Cruſij hęretici impoſturę deteguntur, qui in hiſtoria Turco græciæ, ineptiſſimas ſeminat fabulas, a mendaciſſimis quibuſq. græculis excogitatas, vt eccleſiæ Romanę auctoritatem deprimere velle videatur.

Quare cum Petrus totius orbis curam acceperit, meri- 5
to illis ornamentis & inſignibus dignitatis decorari debuit, quibus tantam perſonam, & muneris amplitudinem tueretur. Inter quę Petro uirga magiſtratus inſigne conceſſa fuit a Chriſto Domino, quam in omni loco, & in omni prouincia quãtumuis remotiſſima, exercere poſſet. Vnde Nonnus Panopolites in commentarijs in Ioannẽ cap. 21. ait: *βόσκε μοι ἔμφρονας ἄρνας ἀσιγήτῳ σέο ῥάβδῳ*. *paſce*, inquit, *mihi prudẽtes agnos nõ tacente tuo baculo*, vbi nõ quieſcentẽ neque tacentem nominat Petri uirgã, ordinariam ſcilicet eius iuriſdictionem in omnes gentes extenſam, quæ nullo temporis nec loci interuallo coarctari & impediri poteſt. Habent enim ceteri omnes epiſcopi ſibi præfinitos terminos, habent certa loca & certas ciuitates, in quibus (vt ait Paulus ad Titum 1.) epiſcopi cõſtituti ſũt. habent certam iuriſdictionem, cum in partem ſolicitudinis, & in participationem miniſterij, non tamen in plenitudinẽ poteſtatis uocati fuerint. Quod plane fuit in cauſſa, quamobrem omnes epiſcopi baculo recuruo & inflexo vtantur, ſummus uero Pontifex qui plenitudinem obtinet poteſtatis, huiuſmodi baculo non utatur. Nam licet baculus qui *δικανίκιον* dicitur, a iudicij poteſtate, paſcendi gregem Chriſti poteſtatem denotet (vt ait Matthęus Blaſtares in Nomino, quẽ a D. Dionyſio Strongilio Epheſio

rum

rum Metropolitano dono accepi)eo tamē Romanus Pon tifex(qui neque ab homine, neque per hominem iuriſdi-ctionem aſſequitur) vti non debet. Quod Innocētius III. vir & pietate & eruditione ſingularis cap. vnico, extra de ſacra vnctione §.vltimo, decreuit his verbis: *Licet Romanus Pontifex non vtatur baculo paſtorali, tum propter hiſtoriam, tum propter myſticam rationem: tu tamen ad ſimilitudinē aliorum Pontificum poteris eo vti.* Hiſtoriam huius rei ſatis ap te expoſuit idem Innocentius lib. 1. myſteriorum Miſſæ cap. 62. his verbis: *Romanus Pontifex paſtorali virga non vti tur, pro eo quod B. Petrus Apoſtolus baculum ſuum miſit Euchario primo epiſcopo Treuerorum, quem vna cum Valerio, & Materno ad prædicandum Euāgelium genti Theutonicæ deſtinauit: cui ſucceſſit in epiſcopatu Maternus, qui per baculū S. Petri de morte fuerat ſuſcitatus. Quem baculum vſque hodie cum magna veneratione Treuerenſis ſeruat eccleſia.* hęc Innocentius. Sed ex his conſtat auctorem gloſſæ in prędicto cap. vnico, verbo propter hiſtoriam, aliter huius rei factum enarraſſe, cū dicat hunc fuiſſe B. Marcialem, quem vna cum Matthæo B. Petrus in Germaniam tranſmiſerat. Niſi fortaſſe ex nominis ſimilitudine aliqua ſuborta fuerit varietas, & pro Materno Marcialis ſubſtitutus, quod plane ſatis conſtare videtur apud S. Aurelianū epiſcopum Lemouicenſem, qui in vita B. Marcialis alios comites, longe ab ijs omnibus diuerſos enumerat, nempe Alpinianum & Auſtriclinianum, qui vna cum Marciale, a B.Petro ad prædicandum Euangelium fuerant deſtinati: *Qui Marcialis velociſſimo curſu Romam contendens, batterium e manu B. Petri accepit, vt eius contactu, mortua membra rediuiua redderentur.* Batterium vero idem eſt cum baculo, quod in gloſſario, βάκτρον, ſiue βακτηρία, dicitur. De myſtica vero ſignificatione glo. copioſe diſſeruit, cuius tamen poſterior pars cōſentanea eſt maxime Rabano Maguntino lib. 1. de inſtitutione clericorū cap. 4. & Matthęo Blaſtari ſupracitato, & lib. veteri anonimo, qui ordo Romanus inſcribitur: cū baculus in ſignum ligandi & ſoluendi, vel regendi plebem

vel ſuſtinendi populi infirmitates cõferatur. Vnde viguit conſuetudo multis annis ſeruata, nunc tamen intermiſſa, vt in ſignũ epiſcopalis dignitatis, epiſcopi etiam iter agentes, manu baculum deferrent (vt in vita S. Adaberti legimus) & in ſignũ abſolutionis paſtorale baculũ abſtentis & excõmunicatis (vt ait Surius in vita S. Galli Abbatis) trãſmitterent. S. Th. in 4. ſent. diſt. 24. q. 3. ad 8. arg. totum hoc factum retulit his verbis: *Romanus Pontifex non vtitur baculo, quia miſit ipſum ad ſuſcitãdum quendam diſcipulum ſuum, qui poſtea factus eſt epiſcopus Treuerenſis. Et ideo in diœceſi Treuerenſi Papa baculum portat, & non in aliis, vel etiam in ſignum quod non habet coarctatam poteſtatem, quod curuatio baculi ſignificat.* Baculum vero non apud Treuerim, ſed Metis diligentiſſime cuſtoditum fuiſſe, & inde Coloniam tranſlatum, narrat Surius in vita S. Brunonis ca. 26. licet in Catalogo electorum eccleſiaſticorum fol. 2. & 234. legamus, partem Treueri remanſiſſe, & partẽ Coloniam fuiſſe tranſmiſſam; quod etiam Otho Friſingenſis libr. 3. cap. 15. confirmauit his verbis: *Petrus ad florentiſſimam vrbem Treuerim tres ſimul proceres Valerium, Eucharium, ac Maternum deſtinauit, qui dum alpes tranſiſſent, Maternus in via moritur. Quo facto perculſi ſo, cij Romam reuertuntur, Beatus itaque Petrus paſtoralem virgam, vt traditur, per eos ad ſuſcitandũ eum miſit: qui venientes ad locum ſepulchri poſt triginta tres dies inuenerunt eum in monumento iacentem. Attamen viri Dei fide & bonis operibus pleni, ſub obedientia magiſtri admota virga, ſocium a morte ſuſcitarunt: qui vt fertur poſt Eucharium, & Valerium, per tot annos rexit Treuerenſim & Agrippinenſim eccleſiam, quot dies antea in ſepulchro iacuerat. Oſtenditur autem & iſta ipſa virga in argumentum rei quã diximus, Treueri, & Agrippinæ: ita quod ſuperiorem eius partem Treuerẽſes, inferiorem Colonienſes habeant:* hæc Otho.

Summus vero Pontifex vice baculi, ferulam coertionis & caſtigationis inſigne deferebat, vt ex Luithprando Ticinenſi libr. 6. capit. 11. aperte conſtat. Patriarcha tamen Conſtantinopolitanus, vt refert Manuelus Malaxus græcus in hiſtoria patriarchali, manu Imperatoris pedum inſigne

gne paſtoralis curæ accipere eſt ſolitus. Quam conſuetudinem ab Andronico imperatore ſeruatam legi, apud Gregoram lib. 6. cap. 1. Gregorius enim Cyprius Patriarcha Cōſtātinopolitanus, δικανίκιον, ideſt, paſtorale pedū, ex imperatorio ſuggeſto more veteri accepit. Quod primū anno 964. a Nicephoro Phoca Imp. videtur conſtitutum, a græculis & leuibus Pōtificibus ſeruatum, mox tamen ab Alexio Comneno imp. anno. 1081. graui edicto ſancitū, ſibi vni licere Patriarchalem thronum & eccleſias cōcedere, vt apud Zonaram tom. 3. & in libro iuris orientalis tertio conſtat. Hac tamen tempeſtate vbi omnia tyrannidē Sultanorum gubernātur, hic mos maxime inualuit; eo quidem conſilio, ne Patriarchæ ſententię atque iudicia a tantis tyrannis reſcindantur. Sed olim, cum maxime vigebat Chriſtiana diſciplina, Patriarcha ab Heracleę Metropolita inauguratus, ab eius manu baculum accipiebat, vt docet Theodorus Balſamon in ſynodo Cōſtantinopolitana can. 3. De qua re ita ait Matthæus Blaſtares in nomimo: *Ordinatur Patriarcha Cōſtantinopolitanus ab Heraclea metropolita, quia Byzantium erat epiſcopatui Heraclienſi ſubiectum: ſed cum a Conſtantino Vrbs Conſtantinopolis noua Roma conſtructa fuiſſet, & dignitate Patriarchali ſublimata, Heracliēſi metropolitano remanſit hac auctoritas, vt Patriarcham conſecrare poſſet. Patriarcha igitur capit baculum e manu epiſcopi Herclea, qui illum in Patriarchæ manum dat. Eiuſque manu oſculata, incipiunt pſalere cantores, Dominum & Patriarcham noſtrum cuſtodi Domine, in plures annos ſerua Domine.* In regno vero Iuſtiniani, Anthimos hæreticus cū ab orthodoxis Patriarchatu eiectus fuiſſet, a Sanctiſſimo Papa Agapeto conſecratus eſt, vt in calendario græcorum in menſe Iulij, & a Nicephoro lib. 17. cap. 9. refertur. Sed hæc diffuſius multo quā ſperabam, reliqua proſequamur.

6 Habuit ergo olim Synagoga ſuos Duces, Iudices, & reges, præcipue tamen Moyſem anteſignanum, & legislatorem Populi, imperitum eloquio (vt ait S. Cyrillus Alexandrinus in collectaneis cap. 2. & 5.) ętate decrepitum, timi-

dum,

dum,& ad munus ſuſcipiendum tardum & moroſum.ei tamen virga non defuit,quam in omnes ſubditos exerceret, qua etiam toti populo grauiter præeſſet. Quod ſi eccleſia Synagogę,& populus populo in fide & religione ſuccedit, mirum ne eſt ſi magiſtratus magiſtratui in uirga & auctoritate ſuccedat? Quod S.Macharius Aegyptius homil. 26. docuit his verbis. *Poſtea Moyſi ſucceſſit Petrus, qui nouam eccleſiam Chriſti,nouumque ſacerdotium inſtituit*. idem prorſus glo. affirmauit verbo, ad Regē. c. cauſamquę,qui filij ſint legi. quod ſatis aperte ex Matthęo 25. cap. conſtat; cū in Moyſi cathedra Apoſtolos ſediſſe, & in ea diſcipulos Domini fuiſſe dicat Origenes tract. 24. in Matthęum. cathedra vero non lignum,ut ait, S. Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi. 12. ſed doctrinæ ſignificat poteſtatem, quam Apoſtoli aſſecuti ſunt pariter ac veteres illi ſacerdotes.ergo ſi Petrus Moyſi dicitur ſucceſſiſſe,neceſſe quidem eſt,ut eandem virgam quam ille gerebat, eodem munere functus,acceperit. Quod explicare uiſus eſt S. Bernardus lib. 4. de conſideratione ad Eugenium,qui Pontificem Romanum cum Moyſis auctoritate conferens,eum poteſtate Moyſem appellauit; ea fortaſſe de cauſa quia in fide loco,& magiſtratu ſucceſſerit:is enim proprie, vt ait Nazianzenus de laudibus Athanaſij,ſucceſſor dicitur,qui cum eandem fidem retineat,in eundem locum & magiſtratū ſufficitur:ſed licet vmbra noſtri ſacerdotij proprie Moyſes eſſe dicatur,nihilominus tamen S.Clemens Romanus lib. 2. conſtitutionū cap.30. diaconum Aaroni,epiſcopū Moyſi ſimilem eſſe dixit. & B. Ephręm Syrus in ſermone de transfiguratione,ſicuti Moyſes Hebręorum princeps fuit, ſic Petrum Chriſtianorum principem fuiſſe demonſtrauit.Quid?quod Dauid regno potitus eſt,& in ſellam regiam thronumq. conſcendit, vbi toti populo pręſcripſit, leges imperauit: in cuius locum ſucceſiſſe Petrum,& ab eo Romanos Pontifices hanc auctoritatem obtinuiſſe ex S.Epiphanio docuimus, cum per cōtinuatā ſeriem,& epiſcoporum ſucceſſionem eccleſia Romana Dauidis regnū

obti-

obtineat: cuius plane poteſtatem omnes tamquam Moyſi uirgam, & Dauidis ſceptrum pertimeſcunt, *& eius caput*, ideſt, regni Dauid ſublimitatem, ut ait Photius explicans locum Pauli ad Hebræos 13. adorant & uerentur.

7 Habet enim omne regnum, atque recte conſtituta reſpublica non ſolum auctoritatem ad moderandos animos hominum, ſed etiam grauem poteſtatem ad hoſtes acerrime propellendos: quamplane cum olim aſſecutus eſſet Moyſes, Petrus etiam pariter totius populi moderator obtinuit: quod virgę exemplo demonſtratum eſt, ab eodẽ B. Machario homilia 47. his verbis: *Virga Moyſis duplicem gerebat imaginem: Occurrebat enim hoſtibus tamquam ſerpens mordens & enecans, Iſraeliticis uero erat uice baculi quo innitterentur.* Vtrumque munus virga Petri præſtitit in eccleſia. Alterum, quo continuit, conſeruauitque & infirmum fecit conſiſtere; ius etiam ſingulis pro ęquo & bono reddidit; ut ex Cyrillo lib. 2. in Eſaiam conſtat. Alterum uero, quo transgreſſores accerrime caſtigauit: quod plane rationi maxime conſentaneum fuiſſe veterum exemplo comprobari poteſt. olim enim gentium publici magiſtratus, non ſolum veſtium cultu ornabãtur, ſed etiam virgam manu geſtabant, ut dignitatem muneris oſtenderent. Centuriones uirgam ſiue vitem manu deferebant, ſub qua milites errantes plecterentur, ut Spartianus in vita Hadriani, & Cor. Tacitus lib. 1. Annalium affirmarunt. Is quoque, cui palatij cura mãdata erat, aurea virga decorabatur, ut lib. 7. uariarum formula 5. docuit Caſſiodorus. Quare merito Apoſtolos, & illorum ſucceſſores uirgam ſignum poteſtatis habere oportuit, cum & militiæ Chriſtianorum præſint, & eccleſię ędificationi maxime ſtudeant. neque a uero alienum cenſeo ex horum officiorum ſimilitudine, in eccleſiam Rom. conſuetudinem inductam, S. R. E. Cardinales præcipua eccleſiæ membra, virga argentea ad publica comitia deferri, cum ipſi Apoſtolicam dignitatẽ maxime repręſentent, & totius eccleſiæ ędificationi conſulant: quemadmodum etiam ampliſſimas domos habitare

his R.E.principibus conſultiſſimũ fuit,cum apud gentiles populos, vrbium ſacerdotes palatia regia incolerent, vt ait Vitruuius lib. 1. cap. 9. *Trallibus domum regibus Attalicis eſſe factam,quæ ad habitandum ſemper datur ei, qui ciuitatis gerit ſacerdotum.*

Quas ob res merito Origenes homil. 9. in cap.16.Nu- 8
merorum, *omnibus principibus,& populi magiſtratibus virgã conceſſit,cum recte populus gubernari non poſsit ſine virga. Hinc Paulus Apoſtolus quia princeps erat in populo Dei conſtitutus,merito 1. ad. Corinth. 4. dicebat: Quid vultis? in virga veniam ad vos? aut in charitate & ſpiritu lenitatis.* hęc ille. Ergo ſi Paulus ab Origine Princeps populi appellatur, & ob id ei virga cõceditur;æquioribus de cauſſis aſſeuerandum erit,Petro firmiorem virgam,ampliorem que poteſtatem collatã fuiſſe a Domino, cum omnium Apoſtolorum caput, doctor,& magiſter,& magnum eccleſiæ fundamẽtum,& petra ſolidiſſima,ab eodem Origene,homil.6.in Exodum,iu dicetur.Sola namque Pontificum uirga germinat,ſola inter omnes floret & fructificat, quia inter alias obtinet principatum. Et ſicut Pontifices pro animabus noſtris inuigilant,ſic virgam vigilantiæ ſignum aſſequuntur,vt Origenes homil. 9. in Numeros,& S.Cyrillus in collectaneis cap.11. docuerunt.

Sed poſtulat iam hic locus, cũ de gladij poteſtate, quæ 9
plane a virga ferrea aliena non eſt,diſſerendum ſit, totius ſcripturę ſeriem detegamus,ut inde hæc diſputatio apertior & illuſtrior fiat. Primum igitur Chriſtus Matthæi 10. & Marci 6. omnibus Apoſtolis perfectam rerum abdicationem iniunxit, vt omni cura & ſolicitudine eos ſolutos ac liberos redderet.Sed cum deinde in multa incommoda inexpectata,quę noſtræ vitæ calamitas infert,labi ac ruere deberent;noluit Chriſtus illius ſanctionis prioris vigere rigorem,ſed prioris inſtituti ſeueritatem remiſit & temperauit:ne grauis illis uita foret, ſi omni humano pręſidio deſtituti; exactam abdicationis regulam ſeruarent.Quam obrem ut ſibi Apoſtoli humana pręſidia pararent, merito

Chri-

Chriſtus illis iniunxit, ut tunicis pretio diſtractis, emerēt gladios. Hæc docet S. Titus Boſtrorum epiſcopus in cap. 22. Lucæ. ex quibus verbis deduci facile poteſt, Apoſtolis facultatē a Chriſto conceſſam defendendi ſe ipſos, & aduerſarios impetendi, ſi ipſos impugnarent: ita enim uerba Chriſti, quæ obſcura eſſe videbantur, ab ipſis Apoſtolis accepta fuiſſe, ſatis eorum non inconſulta poſtulatio denotauit: *Domine ſi percutimus in gladio?* & ſtatim Petrus auriculā amputauit, quin Chriſti reſpōſum expectaret; cū uel rei neceſſitate argeretur, vel Chriſti prior admonitio confidentem paulo reddidiſſet.

10 Cui Chriſtus: *Reconde*, inquit, *gladium tuum in vaginam*; non iuſſit Chriſtus Petro, vt gladium e manibus deponeret, aut abijceret, ſed ut recōderet in vaginam, aut in aliud opportunum tempus ſeruaret: ne forſan hæc Apoſtolorū defenſio, Chriſti paſſionem impediret: *Calicem*, inquit, *quē dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* Ergo obiurgauit Petrum, vt ait Optatus Mileuitanus lib. 3. aduerſus Parmenianum, non quia exercendi gladij ſibi vſum vendicaſſet; ſed quia Petrus humano ingenio & præſidio, Chriſti vitę conſuleret, quæ tamen pro omnium hominum ſalute profundenda erat: *Quare cum Chriſtus pati non defendi veniſſet*, merito Petri conatum compreſſit, qui educto gladio ſeruo vulnus inflixerat. Neque enim militum gladijs egebat Dominus, qui ſi ſui corporis præſidium poſtulaſſet, nō tantum vnus homo ſibi fuiſſet auxilio, ſed plusquam duodecim mille legiones Angelorum (vt legit Hilarius pſal. 54. & 10 de trinitate) a Patre tranſmiſſæ fuiſſent. quod Iuuencus presbyter Hiſpanus lib. 4. cecinit his carminibus:

Olli Chriſtus ait, gladio tu ponito noſter,
Nam quocumque ferox confidit vindice ferro
Hunc inſti ſimilis ferri vindicta manebit.

Et Sedulius lib. v.

Tunc paci mucroni iubet, quia venerat ipſe
Ponere pro cunctis animam, non tollere cuiquam.

L 2 Soli-

Solitus enim erat Petrus, Matth. 20. Chriſto humani-
tus condolere,crucem ab eo deteſtari, immo illum a mor-
te auertere dicens: *abſit a te Domine*. qui tametſi amoris
& charitatis illecebris, quibus mire in Chriſtum exarſe-
rat,bene illi precaretur;tamen & Satanam, & ſandalum,
Petri cogitatum appellauit Chriſtus, cum inde grauis ia-
ctura omnium hominum fieret, ſi Chriſti mors impedire-
tur: qua de cauſſa Chriſtus gladium Petri non de mani-
bus depulit,ſed recondendum in vaginam iuſſit, vt Petrũ
ab ea cogitatione impediendi mortem auocaret: *Calicem,*
inquit,*quem dedit mihi Pater,non vis vt bibam illum?*

Sed locum Lucæ cap. 22. & dilemma elegans & argu- 11
tum S. Titi Boſtreni, & Anaſtaſij epiſcopi Nicæni,q. 71.
& S. Athanaſij Alexandrini, q. 67. perpendamus,vt totã
huius rei veritatẽ detegere poſſimus: *Domine*,inquiunt A-
poſtoli,*ecce hic duo gladij ſunt*.Hortatus eſt Chriſtus ut alijs
rebus omnibus gladij vſum præferrent, vt tunica poſtpoſi
ta,immo vero pretio diſtracta, gladium conquirerent,aut
emerent.Sollicitus tunc Apoſtolorum animus,atq; ęſtuãs
ardor in tam multa nocte circa gladiorum facilem appara
tum,Chriſti voce fuit ſedatus,atque reſtrictus his verbis:
ſatis eſt. ſufficit hoc tempore, hanc curam in alium locum
reijcite,nunc ſatis ſit hęc cogitatio, atq; hos duos gladios
in promptu habuiſſe. Quod Caietani Ientaculo 1. q. 2.
conſentaneum eſt, vbi ait,Dominum non reſpondiſſe,ſa-
tis ſunt, ſed imperſonaliter ſatis eſt, videlicet doctrinæ
meæ,& ſolicitudini veſtrę. Quæ plane ex S. Tito epiſco-
po Boſtreno apte deducuntur: *Si Chriſtus*, inquit, *humano
præſidio vti voluiſſet ad ſuam mortem defendendam,neque ſi cen
tũ gladij in parato fuiſſent,ſatis erãt:cũ cohors omni armorum ge
nere inſtructiſſima,fruſtra ab eis impugnaretur. Quod ſi illo de-
fenſionis adminiculo eos vti non voluit, atque ſui defenſionem
gladijs prohibuit,duo quoque gladij ſuperuacanei forent,quos ta-
mẽ Chriſtus ſatis eſſe docuerat*. Plane hoc tẽpore quo Chri-
ſti mors gladijs prohibenda non erat, ſatis erat duos gla-
dos habuiſſe ἱκανόν ἐστι, ſufficiẽs & idoneum erat, neque
ſuper-

ſuperuacaneum (ita enim gloſſarium hanc uocem reddidit) duos gladios in cœna repertos fuiſſe, ut aliquam ab Apoſtolis defenſionem fieri poſſe conſtaret.

12 Quod S. Auguſtinus in q. 104. mixtim explicata ita demonſtrat: *Significatur in Luca, quod ipſo Domino permittente percuſſerit Petrus, & ſic prohibitus, audiuit: Ideo enim permiſſum eſt, vt vindicare ſe poſſe non ambigeretur; inimici vero pro certo haberent, datam ſibi poteſtatem vt hoc faceret. Quare ergo ſententia data eſt, vt qui gladium accipit, gladio pereat? niſi quod nulli licet, excepto iudice, quemquam gladio occidere. Apoſtolo Petro vſque hoc promiſſum eſt, vt dolorem faceret, non vt occideret; ob hoc enim audiuit ne iterum percuteret. At vbi tempus quo ſe pati permiſit aduenit, præterquam quod rixa magis quam bellum imminebat, armatos iubet eſſe diſcipulos, non vt repugnarent qui pati volebat, ſed vt dixi, vt in poteſtate habere poſſeſſionem ſuam oſtenderet.* hæc ille. Iſtud etiam idem Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 77. ſibi conſentiens, explicauit: *Miſi vos ſine ſacculo & pera.* Et poſt. *qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram, & qui habet tunicam vendat & emat gladiũ. Ita pro temporum diuerſitate, vel conſilia, vel præcepta, vel permiſſa mutantur. Atque obtemperantium quoque diſcipulorum facta in Euangelio ſecuta ſunt. Nam & tunc ſine ſacculo & pera ierunt, & dixerunt ei nunc cum de gladio emendo iuſſiſſet, ecce ſunt hic duo gladij, & ille reſpondit; ſufficit: hinc & Petrus armatus inuentus eſt, cum aurem perſecutoris abſcindit, vbi ſpontanea eius coercetur audacia, quia non vt iuſſus fuerat ferrum tollere, ita iuſſus fuerat & ferire. Latebat certe Domini voluntas, cur arma portare præcepiſſet, quibus eos vti noluiſſet.* & eodem lib. cap. 70. *Petrus cum euaginato gladio, volens defendere Dominum, aurem perſecutoris abſcidit. Quod factum Dominus ſatis minaciter cohibuit dicens: reconde gladium tuum, qui enim gladio vſus fuerit, gladio cadet. Ille autem vtitur gladio, qui nulla ſuperiori ac legitima poteſtate vel iubente vel concedente in ſanguinem alicuius armatur: nam vtique Dominus iuſſerat vt ferrum diſcipuli eius ferrent, ſed non iuſſerat vt ferirent.* hæc Auguſtinus: Ergo non dubitat Auguſtinus portationem armorum

morum re uera diſcipulis imperatam, licet Chriſtus eorũdem vſum non perinde eis præceperit. Sed de hac re audiamus fragmentum orationis Leonis ſapientis, ut arbitror, quam in adorationem venerabilium catenarum, & gladij ſancti, & Apoſtolorum principis Petri conſcripſit: *Et qui non habet,* ait, *gladium, emat: quæ verba illis conſentanea non ſunt, quæ antea dixerat, cum non peram, non gladium poſſidendum præcepiſſet. Quid eſt igitur, quod gladios nunc emendos eſſe iubet? Maxime inquam ob eam cauſſam, quod tunc quidem cũ illis inopiæ ſemina inſereret, vt ad Euangelij curſum conficiendũ leuiores, & agiles atque expeditos redderet, gladiorum & aliarũ rerum poſſeſſionem interdixit; hoc autem loco, tempore illo imminente, quo ſalutaris eius paſſio futura erat, tacito & myſtico quodã modo indicare volebat, non dormiendum, neque animo decidendum; ſed quaſi contra Iudæos armari oportere, & aduerſus caſores tamquam in acie aliqua contraria ſtandum eſſe, & ijs reſiſtendum, qui Deum interficere parati erant, eiusq. ſanguinem ac mortem ſitiebant. Nunc non eſt, inquit, doctrinæ tempus, non curandorum ægrotantium locus, neque miraculorum opportunitas. Armis opus eſt, gladijs & huiuſmodi propugnaculis ad arma illa repellenda, quibus homicidæ ſceleſtiſſimi ad meam cædem vtentur. Hac igitur ratione Petrus gladium attulit, cuius licet feruentem beneuolentiam, & ardens ſtudium Ieſus ipſe cognoſceret, quodque eo gladio aurem illam abſciſſurus erat; non tamen prohibuit ne fieret, vt & eius in magiſtrum ſuũ ardor aperiretur, & curationis opus ad ingratos illos, qui Deum interficere aggrediebantur, redarguendos pateſieret. Quod autem non ad oppugnandum aut vlciſcendum Dominus Ieſus diſcipulis ſuis gladiorum poſſeſſionem præceperit, ſed ad eorum quæ paſſurus erat, ſignificationem; licet hoc aperte cognoſcere ex Euangelij verbis, cum ipſe dicit: Mitte gladium tuum in vaginam: quaſi diceret; Non enim propterea iuſſi vos gladios poſſidere, vt illis ipſis inuaſores vlciſceremini: Non eſt mihi hoc optabile. Nam ſi deceret, & mihi opem ferri vellem, poſſem rogare Patrem meum, & daret mihi pluſquam duodecim legiones Angelorum. ſed quoniam voluntarie meipſum ijs tradidi, propterea & gladiorum poſſeſſionem, ad ea ſignificanda,*

quæ

quæ paſſurus ſum, vobis indicaui. ſi enim permiſi paululum te, Petre, gladio vti, ob eas cauſſas feci, quas prædixi, et vt diſcipulos ad pericula ſubeunda promptos efficerem: ſed conuerte gladium tuũ in vaginam, quod mihi fas non eſt gladijs vti, ad imminentes cruciatus auertendos. Nam licet antea gladios emendos Dominus præcepiſſet, & diſcipuli ſe duos habere dixiſſent, ſatisque illos eſſe, magiſter ipſe reſpondiſſet, ea re ſignificauit paſsionis ſuæ tempus prope eſſe: quaſi gladijs vtendum eſſet ad inuaſores repellendos.

Ita igitur gladium Petrus poſsidens, ſecum & in prædicatione afferebat, tum vt ſicubi opus eſſet, illo vteretur, tum vel maxime vt ipſum videns, ad magiſtri admonitionem memoria tenendam reuocaretur; & eo modo tempus illud, quo Ieſus crucem paſſus eſt, & ea quæ poſtea ſecuta ſunt, ſecum cogitaret, inuidiam ſcilicet odium, inſidias, proditionem, iniuſtum iudicium, iniuſtiorem mortis ſententiam, crucem, ſepulturam, & reliqua omnia, quæ homicidæ Iudæi facere auſi ſunt. Hæc, cum gladium illum Apoſtolus videret, contemplabatur, hæc aſsidue animo reuoluebat; hæc ſecum repetens meditabatur, gladio ipſo memoriam ſuggerente, & ad prædicationem exequendam illum alacriorem efficiente. Hoc gladio & ad omne periculũ pro Chriſto ſubeundum armabatur Apoſtolus, & ad pericula omnia ſuſcipienda, tum vel maxime ad ſacras illas cathedras induendas, & iniquorum hominum carcerem habitandum. hęc ibi.

Ex quo loco deducitur ius gladij ſemper penes Petrũ, eiusque ſucceſſores fuiſſe: vſum uero eiuſdem gladij non omni tempore conuenire, ſed opportuna & diligenti cõſideratione habita, & debitis pręponderatis rationibus, pro loci & tẽporis occaſione. Quod ſatis aperte B. Bernardus lib. 4. de conſideratione ad Eugenium explicauit his verbis: *Quid tu vſurpare gladium tentes, quem iuſſus es ponere in vaginam? Quem tamen qui tuum negat, non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis ſic: Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipſe tuo forſitan nutu, & ſi non tua manu euaginandus; alioquin ſi nullo modo ad te pertineret, & eis dicentibus Apoſtolis, Ecce gladij duo hic, non reſpondiſſet Dominus*

nus ſatis eſt, ſed nimis eſt. Vterque ergo eccleſiæ & ſpiritualis ſcilicet gladius & materialis, ſed is quidem pro eccleſia, ille vero et ab eccleſia exercendus eſt: iſte ſacerdotis, is militis manu; ſed ſane ad nutum Sacerdotis, & iuſſum imperatoris. quod etiam Bonif. octauus cap. unam ſanctam, de maio. & obed. explicauit: *In hac* inquit, *eiuſque poteſtate duos eſſe gladios, ſpiritualem videlicet & temporalẽ, Euangelicis dictis inſtruimur. Nam dicẽtibus Apoſtolis, ecce gladij duo hic in eccleſia, ſcilicet: cum Apoſtoli loquerentur, nõ reſpõdit Dominus, nimis eſſe, ſed ſatis. Certè qui in poteſtate Petri temporalem gladium eſſe negat, male verbum attendit Domini proferentis; conuerte gladium tuum in vaginã. Vterque ergo eſt in poteſtate eccleſiæ, ſpiritualis ſcilicet gladius, & materialis: ſed is quidem pro eccleſia, ille uero ab eccleſia exercendus: ille ſacerdotis, is manu regum & militum; ſed ad nutum & patientiam ſacerdotis*. hæc ille. Idem uenerabilis Beda uidetur cenſuiſſe in Lucę cõmentarijs, ut refert S. Thomas in catena aurea, qui libere duos Petro gladios, concedit: *vnum qui audaciam pro Domino certandi doceret, alterum vero nequaquam vagina ereptum, ut oſtenderet Apoſtolos nec totum quod potuere pro eius facere defenſione permiſſos*. hęc ille.

Hoc autem adeo verum eſt, vt ſolo gladio materiali Pe- 14
trum vſum fuiſſe legamus apud S. Hildebertum Cœnomanenſem epiſcopum, epiſt. 40. *Duos*, inquit, *in cœna fuiſſe gladios, hoc quoque & legis & intelligis. Vnum quidem Petrus in Malchũ vibrauit, dum Malchus in Chriſtum manus extẽderet; Alter vero eductus fuiſſe non legitur. Apte profecto inuentus eſt vterque apud diſcipulos Chriſti, quia adhuc uterque oſtenditur in membris corporis Chriſti. Membrum enim Chriſti rex, membrum Chriſti ſacerdos. ſcienti loquor. noſti gladium regis, noſtri gladium ſacerdotis. Gladius regis cenſura curiæ, Gladius ſacerdotis eccleſiaſticæ rigor diſciplinæ. Hos Euangeliſtam figuraſſe legiſti, dicentem: Domine ecce gladij duo hic.* hactenus ille: Ex quibus aperte conſtat gladium materialem ſub Petri poteſtate & imperio fuiſſe; ſed magis illius vires in rege oſtendi, cum ipſe ſolum bellorum cauſſa eius præſidio vtatur. Præterea hoc materiali gladio Petrus ad

Mālchi iniuriam propellendam exercuit, cap. pro membris.23.q.3. quem cum vlciſcēdi animo eduxiſſet, in Malcho patientia Domini vulnerata eſt, quæ legis rigorem atque vindictam temperauerat; de qua re Tertullianus lib.de patientia: *Ille*, inquit, *cui legiones Angelorum ſi voluiſſet, uno dicto de cœlis adfuiſſent; ne unius quidem diſcentis gladium vltorem probauit. Itaque gladij opera maledixit in poſterum.* hoc eſt, gladio uindice Petrum perpetuo interdixit, cum vindicandi animo & cogitationi pręcipiti ille gladiū eduxiſſet. vnde Nonnus Panopolites in Ioannis cap. 18. affirmat, a Chriſto Petri cogitatū repreſſum, ac cohibitū his verbis: *mitte gladium in vaginam*, hoc eſt, ceſſa ab ira, in vagina ponito gladium, cum Petri intentio non a mandato legali, neque a vindicandi conatu fuiſſet aliena, vt ex S. Cyrillo Alexandrino lib.11. in Ioannem, cap. 35. colligitur. Quæ plane interpretatio a Chriſti inſtituto diſſentanea non eſt, dum ait: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Qui enim gladio utitur ad vindictam, pœnam quoq; gladij ſubibit, cum non publicā auctoritate & imperio, ſed pro libito vſum gladij temere arripiat.

15 Sed id, quod Patres crediderunt, gladium materialem ad nutum ſacerdotum exercendum eſſe, facile explicari poteſt. Etenim nutus exhortatio eſt & iuſſio, ut ex cap. igitur.23. q.8. & ex cap. hortatu. eiuſdem quæſtionis conſtat. Quod S. Pacianus Barchinonę epiſtola 2. docuit his uerbis: *Cum per noſtram fidem Chriſtiani principes eſſe cœpiſſent, ipſi principes catholicæ, hoc eſt, ſuæ parti fauentes, proprio dolore commoti ſunt; niſi forte Daniel imputabitur, quod a Dario vindicatus eſt, aut Heſter cum pro ea dux regis occiditur, aut tribus pueris, quod propter eos poſt experimenta flammarum incredulis Rex Babylonius comminatur. Nonne Simonem Magum Petrus iudice ſtipulante confundit? Num Helymam fauente Sergio Paulus excæcat? qui vindicatus eſſet Hieroſolymis, ſi quis fidelis illum ligatum habuiſſet. Neſcis ſeruire ipſas ignoſcentibus poteſtates, & in bonum ſanctis Patribus miniſtrare? ſicut Apoſtolus dixit, principes non ſunt timori bono operi, ſed malo; vis autem non*

timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex ea per Dominum, miniſter eſt enim tibi in bonum. hęc ille.

Id etiam S. Proſper Aquitanicus lib. de vocatione gentium cap. 33. explicauit: *Gratiæ,* inquit, *Chriſtianæ affectibus, etiam ipſa quibus mundus atteritur, arma famulantur.* & S. Leo epiſtola 73. ad Leonem Auguſtum, ad eccleſiæ pręſidium, regiam poteſtatem maxime eſſe collatam affirmat. & S. Gregorius ad Mauritium lib. 2. epiſtola 61. Ad hoc poteſtas, ait: *Super oēs homines dominorum meorū pietate cœlitus data eſt, vt terreſtre regnum cœleſti regno famulentur.* Pręterea nutus gladij materialis diſpoſitionem ſignificat, vt S. Bernardus epiſtola 256. & 179. & S. Thom. 2. 2. q. 40. art. 2. docuit his verbis: *Omnis perſona, vel ars, vel virtus ad quam pertinet finis, habet diſponere de his, quæ ſunt ad finem; bella autem carnalia in populo fideli ſunt referenda ſic ad finem vt ad bonum ſpirituale diuinum, cui clerici deputantur: ideo ad clericos pertinet diſponere & inducere alios ad bellandum bella iuſta.* hæc S. Thomas.

Vnde licet nihil tam cōtrarium ſacerdotibus videatur 16
quam prophana militia, armorumq; tractatio, ut in Concilio 4. Toletano can. 44. diffinitum eſt, & ab Iuone Carnotenſe lib. 3. de uita clericorum, relatum: non deſunt tamē multa bellatorum exempla, quæ pro patria & eccleſię libertate, a uarijs auctoribus referuntur. Anglię enim rex Eduardus III. clericorum conſcripſit exercitum, aduerſus Scotos Britāniæ Inſulę prędatores, annum circiter 1347. auctore Polydoro Virgilio. Quin & Biſetislaum Pracentium Antiſtitem, Bohemicum regnum ſexdecim tenuiſſe annis, vnacum epiſcopatu memoratur; illudque peritia rei militaris ab externa armatorum ui conſeruaſſe, ut eſt apud Aeneam Syluium in hiſtoria Bohemica, cap. 25. ſic etiam Paulus Tomoreus Collocenſis epiſcopus, ac Franciſcanus Cęnobita, Hunnorum copias duxit in Solymanum Turcicum imperatorem, ac in acie prope Budam occubuit; auctore Iouio in lib. de rebus Turcicis. Ioannes Carauaial Hiſpanus Cardinalis Sancti Angeli, cum Ioanne

Ca-

Capiſtrano monacho viro ſanctiſſimo, ad Albam græcã, eductis copijs profligauit Muhamedem Othomanici imperij principem. Henricus Cardinalis pontificius in Angliam Legatus, numeroſas militum turmas legit aduerſus Bohemos. Quę omnia maxime rationi cõſona fuere, cum obſeſſi ab hoſtibus, neceſſitateq. obſtricti milites cõſcripſerint, eosq. pro eccleſię libertate aduerſus publicos hoſtes in aciem eduxerint. Sed de his ſequenti cap. dicemus.

17 Ex quibus omnibus facile conſtat, Federicum primum Rom. Imp. vt Radeuicus lib. 1. cap. 10. contra Hadriani IIII. literas, & lib. 2. cap. 56. teſtatus eſt, & Henricũ IIII. imperatorẽ in epiſtola ad Annonium Colonienſem epiſcopum, male de huius gladij poteſtate ſenſiſſe. Sic enim habet Henricus ſcribens contra Gregoriũ VII. *Vt de pluribus pauca referamus, regnum, & ſacerdotium Deo neſciente ſibi vſurpauit. In quo piam ordinationem contempſit, quæ non in vno, ſed in duobus duo, ideſt, regnum, & ſacerdotium principaliter conſiſtere voluit, ſicut ipſe Dominus Saluator in paſsione ſua de gladiorũ duorũ ſufficiẽtia typica intelligẽtia innuit. Cui cum diceretur, Domine, ecce duo gladij hic, reſpondit, ſatis eſt. ſignificans hac ſufficienti dualitate ſpiritualem & carnalem gladium in eccleſia eſſe gerendum, quibus omne negotium nociuum foret amputandum; videlicet ſacerdotali ad obedientiam regis pro Deo: regali vero gladio ad expellendos Chriſti inimicos exterius, & ad obedientiã ſacerdotij interius, omnem hominem docens fore caſtigandum: & ita de alia in aliam charitate tenderetur; dum neque regnum ſacerdotij, nec ſacerdotium regni honore priuaretur.* hęc ille.

Turpiter tamen ne dicam inuerecunde Gregorio VII. hanc notam iniuſſit, cum illi imponat præter ius fasque vtriuſque gladij poteſtatem arrogaſſe. Cum re uera Petri perſonæ gladij utriuſque poteſtas aſſignata fuerit, ut ſimul & terreno & cæleſti imperio potiretur. Quod Nicolaus II. diſt. 22. cap. omnes, affirmauit. *S. Petro terreni ſimul & cæleſtis imperij iura commiſſa* fuiſſe, ut etiam 1. q. 4. cap. quia præſulatus, & Clem. de ſent. & re iud. cap. Paſtoralis, ſatis aperte liquet. Nec ab hac opinione abhorrere videntur

BIBLIOTECA

dentur illi, qui gladium temporalem tantum ratione finis collatũ eſſe eccleſię arbitrati ſunt, quaſi tẽporalis gladius exiſtens in principe ſęculari, poteſtati ſpirituali miniſtret: quã opinionẽ amplectitur Couarruuias cap. alma mater. 2.p.§.9.nũ.7. Maxime vero & Patrũ inſtituto & Bonifacij decreto diuersã, cap. 12. demonſtrabimus. Sed Henrici tẽpore hanc multorum hominum opinionẽ fuiſſe, ex Berengoſio abbate Treuerenſi, lib. de myſterio crucis Dominicæ, ſatis aperte conſtat: qui cum fuiſſet Imperatori addictiſſimus, inductus fortaſſe auctoritate Henrici abbatis Cluniacenſis, qui omnia Imperatori conſilia ſuggerebat ex his auſus eſt affirmare, non eſſe legi diuinę contrarium, ut Pontifex regi, & rex quandoque Pontifici pareret. Vtriusque vero munera ita diſiunxit, vt Pontifici ſolum gladium ſpiritualem cõcederet, & temporalem adimeret; licet ratione finis nemo negauerit in Pontifice extitiſſe. quę res cum in controuerſiam uocata non fuerit, fruſtra Bonifacius decreuiſſet illud, de quo nuſquam gentium dubitatum erat.

Quare ſi ad myſticam ſignificationem recurramus, ad 18 quam ſępe eccleſię Patres confugerunt, gladij vtriuſque poteſtas duplicem vitæ ſtatum denotat, vt Theophilus abbas in Prato ſpirituali cap. 40. affirmauit: *Duo gladij duas vitas ſignificant, actiuam & contemplatiuam: Si quis ergo has duas virtutes habeat, hic perfectus erit*. Quare cum actiua vita ſępe armorum præſidio nitatur, qui perfectus eſt & in perfectionis ſtatu conſiſtit, vt ſunt epiſcopi, arma tamquã vitę ſuæ auxilia quærere debent, ut hoſtes qui ſæpe armis uirtutem impugnant, arceant & propellant. Vereor tamẽ ne illa ſit nimium audax hominum ſententia, qui affirmãt ex ſenſu literali nihil de duobus gladijs materiali & ſpirituali clarum haberi: cum profecto nullum alium ſenſum & aptiorem, & veriorem Patres agnouerint.

Ex quibus omnibus Franciſci Duareni impoſturę deteguntur, qui lib. 1. de ſacris eccleſiæ miniſterijs, cap. 4. uafre nimium & callide in eccleſiã, & eccleſiaſtica tribuna

lia debacchatus,tamdem gladij ius atq; imperium ab omnibus ſacerdotibus ſuſtulit; ſoliſque ciuium magiſtratibus conceſſit. Sed eius verba audiamus: *Gladij ius & imperium non habent ſacerdotes, ſed magiſtratus ciuiles, vt clare teſtatur Chriſtus,cum ait:Regnum meum non eſt de hoc mundo,& reges gentium dominantur eis: Vos autem non ſic. Nam & Petrus præcipit eis vt paſcant gregem non dominantes. Inde Hieronymus ad Nepot.Epiſcopi,inquit,ſciant ſe ſacerdotes eſſe nō dominos. Itaque dicuntur non habere territorium, nec prehendendi ſummouendiq. facultatē,magiſtratibus quibuſdā Romanis nō diſſimiles;qui,vt Gellius ait,vocationem habebant non prehenſionē.* Ex quibus apparet maxime huius hominis conatus eo potiſſimum ferri,ut non modo eccleſiæ poteſtatem lædat fœdetq. verū etiam omnia eius munimēta conuellat.Nos autem ne hæc irrefutata tamquam foueam prætergrediamur,ſuis opportunis locis libri ſecūdi,bonā magnā huius diſputationis partē pręſcribimus.Exoratū tamē uelim lectorem, vt ęquo animo me alio progredientem ſuſtineat, ut facile ex his quæ dicenda ſunt, huius hominis temeritatem exiſtimare poſſit.

CAP. IX.

Petri ſucceſſorem iure ob ſui corporis cuſtodiam, eccleſiæque præſidium, ſatellitio militum ſtipari poſſe.

SVMMARIVM.

1 *Olim lictores ſacerdotibus veteris legis præſidio fuiſſe.*
2 *Quid hæc vox magiſtratus, ſignificet apud ſcripturam.*
3 *Qui dicerentur ſcribæ,& eorum munus.*
4 *Milites corporibus cruci ſuffixis ſeruandis, adſcripti ex S.C.*
5 *Ioiadæ ſacerdotis facto conſtat, arma & milites templi præſidio fuiſſe.*
6 *Ioiadæ factum recte in exemplum trahi poſſe.*
7 *Imperatores olim inermes ad templum accedebant.*

8 Non

8 *Non decet noſtro hoc tempore Pontifices abſque militari præſidio incedere.*

9 *Pontifices a nonnullis hominibus petulantiſsime fuiſſe tractatos, licet ante Pontifices nudi gladij delati fuerint.*

10 *Pontifices cum virgam magiſtratus inſigne gerant & virgis reos cedant, iure debent ſtipari lictoribus.*

11 *Septem Diaconi olim incolumitati epiſcopi conſulebant.*

12 *Cyrillus armis ſeptus, Iudæos in exilium miſit, illorum bona publicauit, & diripienda Chriſtianis conceſſit.*

13 *Parabolanos qui ſub epiſcopi tutela erant, Cyrillo præſidio fuiſſe.*

14 *Defenſores Epiſcoporum qui fuerint.*

15 *Heretici, ex Ariſtotele & ex varijs hiſtorijs, Pontificis ſatellitium impugnant.*

16 *Omnes rationes oppoſitæ diſſoluuntur.*

17 *Ariſtoteles armis Remp. defendendam docuit.*

18 *Hæretici ut errores ſererent, armis vtebantur; quod ſecus a pontificibus Romanis factum fuit.*

19 *Milites boni præſidio eccleſiæ eſſe debent.*

LOCVS & res ipſa adhortatur ut de ſatellitio Pontificis diſſeramus, quod hoc tempore tam eſt a peſſimis quibuſque hæreticis impugnatum, quam ſi iure diuino ipſis Pontificibus eſſet prohibitum, vel ab eorũ dignitate, & ſpirituali poteſtate abhorreret maxime. Qua de re æquum eſſe arbitror, ab origine (vt aiunt) vltima, totam hanc diſputationem inchoare, vt illi ab ea mente depellantur, qui Romanum Pontificem ſeruis publicis ſtipari, & in corporis cuſtodia aliquod ſuę uitę præſidium conſtituere, abſurdum exiſtimãt. Fuit quidem olim militia Templi cuſtodię adſcripta, quę res ſacras ſeruare, ſacerdotes ſtipare, iniurias arcere, ſontes iure prehendere, & in uincula deducere poſſet. Quod abũde ex lib. 1. Machab. cap. 4. conſtat, a Iuda ædificatas turres firmiſſimas, ibique milites collocatos, ad gentium vim repellendam. 1

dam. Mox vero Herodes rex, ut ait Ioſephus & Cor. Tacitus lib. 5. hiſtoriȩ: Templum cuſtodia muniuit, turrimque templo continentem firmauit, quam in gratiam Marci Antonij triumuiri, Antoniam appellare uoluit. Habuiſſe autē Iudȩos eius cuſtodiȩ cauſſa, milites aſſignatos, ſatis indicat Acto. 4. caput. Vbi a templi prȩſidio & duce militiæ, inobedientes legi, ut ipſi dicebant, in vincula adductos; & cap. 5. a prȩfecto prȩſidij templi, nonnullos prehenſos & in carcerem coniectos legimus. Sed in ex emplaribus Grȩcis quȩ omnium manibus circumferuntur, στρατηγὸς, ideſt, magiſtratus templi habetur, apud Theophilactum & alios στρατὸς τοῦ ἱεροῦ, ideſt, *templi præſidium*, legitur. Quodcumque tamen ſit, noſtra nihil refert, cum ex vtraque lectione, templi prȩſidio aſcriptos milites comprobetur: qui nō ſolum illud tuerentur, ſed etiam puniendos in vincula raperent.

2 Sed ſatis mirari non poſſum, cur quidam ex recentioribus noſtrum interpretem parum apte uertiſſe hu nc locū exiſtimet, quod voce illa στρατηγὸς, magiſtratum militare nō expreſſerit: quod plane ſatis temere illum dixiſſe arbitror, cum aperte ex cap. 16. Act. diſcrimen inter ἄρχοντας, ideſt, principes, & στρατηγοὺ, ideſt, magiſtrat⁹ cōſtet: Proprie enim illi magiſtratus dicuntur, qui pœnis proſequuntur reos eoſque acerrime caſtigant; vt Lucas eodem loco docuit his verbis. *Et magiſtratus ſciſſis tunicis eorum, iuſſerunt eos virgis cædi.* ergo στρατηγοὶ, illi erant qui lictoribus utebantur, vel ſibi milites adiungebāt, ut manum inijcerent, ue l uim ſicunde forte ingrueret propulſarent. Et paulo poſt: *& cum dies factus eſſet* στρατηγοὺ, ideſt, magiſtratus: *miſerunt littores* ῥαβδούχους. hæc ibi. Immo etiam gloſſarium uetus latinum, στρατηγίαν, magiſtratū, & στρατηγὸν quoque magiſtratum ſiue Duum uirum tranſtulit, prȩtorem uero στρατηγὸν ῥώμης nominat, cū abſolute hȩc uox στρατηγία prȩturā non ſignificet, niſi addatur ῥώμης ubi erat.

3 Hi tamē magiſtratus apud Hebrȩos שׁטרים ſchoterim dicebantur ideſt, monitores, qui ſacerdotum placita non modo diuulgare pronuntiareque; ſed etiam auctoritate, ſi

opus

opus erat, uel ad agendum aliquid impellere poterãt. Hos Rab. Solomõ flagris & loris armat, ſicut Romani ſuos magiſtratus, qui lictores apparitoresq. habebãt. Quod aperte ex 2. Para. cap. 34. & Deut. cap. 16. cõſtat. Vbi inter alia legis præſcripta hoc vnum extat, ut in ſingulis Vrbium portis Iudices, & ſchoterim, ideſt, magiſtratus qui lictores, & monitores, ſeu apparitores deferrent, ut ius adminiſtrarẽt iudicio iuſto. Aquilas Ponticus hos ἐκδικητὰς, ideſt, facinorum uindices tranſtulit. Septuaginta γραμματεῖς hoc eſt ſcribas, ſiue litterarum publicarum promulgatores & vindices tranſtulerunt; quod aperte ex cap. 1. Ioſue collegit Andreas Maſius.

Sed hoc militũ genus longe ab illo diuerſum fuit, cuius partes erant cruci ſuffixos ſeruare, & ne cadauera a crucibus abſtraherentur, armis & diligenti præſidio munire. Capitale enim erat ex S. C. (vt ait Petronius Arbiter in ſatyra) militi, cuius dolo malo, aut culpa cadauera detracta forent. Quare cum milites ad ſeruanda & munienda ſepulchra adſcripti non eſſent, immo iure. P. R. cadauera in ſepulchro ſeruare, aut medicare funus prohibitum: merito a Pilato militum manus ad ſepulchrum muniendum a ſacerdotibus poſtulabatur. Quibus Pilatus, *habetis* inquit, *cuſtodiam*, ex ueſtris militibus prẽſidium collocate; *ite, cuſtodite ſicut ſcitis*, ſeruari oportere. Homo uero Romanus uſus eſt uoce Romana, ut milites cuſtodiæ adſcriptos ſignificaret. Solẽt enim Apoſtoli multas uoces latinas ſuis ſcriptis inſerere, quæ conſuetudine receptæ erant. Quales ſunt *prætorium* apud Paulum & Matthæũ, & hẽc uox apud eũdem Matthæum cap. 27. ut ait Theophilactus, *cuſtodias* qua apud Latinos tam illi qui ſeruant, quam ſeruati & cuſtoditi intelliguntur: *ſudarium* etiam apud Ioannem cap. 11. & Lucã Acto. 19. latina vox eſt. Sed quamquã apud Grẽca exẽplaria ἔχετε τὴν κουστωδίαν, ideſt, *habete cuſtodiã* legatur, quaſi a Pilato ſuorum militum fuerit imperata cuſtodia; tamen haud abſurdũ erit coniectari, ut vulgarẽ lectionem defendamus, de ea cuſtodia quam templum habebat,

bebat, Pilatum locutum fuiſſe.

5 Sed hæc ſatis ad rem faciunt, cum etiam ex Scripturæ ſacræ teſtimonijs cōſtet, in templo lanceas, clypeos, & omnia armorum genera fuiſſe, quibus illud populi præſidio defendi poſſet. Legimus Paralipomenon lib. 2. cap. 23. a Ioiada ſummo ſacerdote cuſtodias domus Domini, & milites templo adſcriptos fuiſſe; quorum præſidio Athalliæ tyrannidem deprimere, & filium regis publice inaugurare poſſent. Nam pręter quattuor millia leuitarum, qui excubias domus Domini agebant, etiam fuiſſe milites leuis armaturæ 4. Regum cap. 11. conſtat. Quo in loco vbi noſtra editio *milites* hebręa lectio habet *celeres*, ideſt, leuis armaturæ, vt Vatablus, & Sanctes Panninus adnotarunt.

6 Quamobrem ſi in exemplum trahi poſſunt, veteres mores, hic vnus eſt, qui noſtro inſtituto facile aptari poterit; cum armis vitæ præſidia quærere, & libertatem eccleſiæ tueri conſultiſſimum ſit, & Petri exemplo quaſi decreto firmatum. Habent enim noſtra hæc tempora multa incommoda, habent multas calamitates & infortunia, ab aduerſarijs Romanę eccleſiæ illata: qui tantum abeſt, ut dignitati, & muneri Apoſtolico deferant, quam quod etiam Pōtificum uitæ ſalutique inſidientur. Quæ omnia inter alia ſtipatorum caterua anteuerti poſſunt, quia auctoritas Apoſtolica defendendi, & amplitudo decorari oportet.

7 Olim cū Imperatores maximo cultu eccleſiā proſequerētur, & humi cubare, & ad ſacerdotum pedes ruere, & ad eorum conſpectum diadema detrahere, caputque eorum manibus obiicere, (vt ait Chryſoſtomus tom. 4. homil. 5.) conſueuiſſent; Pontifices armis non egebant: cum omnia illorum ſententia & auctoritate gubernarentur. *Soliti enim erant Imperatores*, vt ait Theodoſius Imperator, in edicto regio, de iis qui ad eccleſiam confugiunt, (quod tom. 5. cōcilij Epheſini habetur, & apud Ant. Auguſt. lib. 1. conſtit. græcarum Iuſtiniani, tit. 12.) *cum legitimis armis numquam non circundarentur, quique ſine armatis ſtipatoribus eſſe non poterant, Dei templum ingreſſuri, foris arma relinquere, &*

*pſum etiam diadema regiæ maieſtatis inſigne, humiliter depo-
nere.* quę quidem conſuetudo a veteribus illis Imperatori-
bus originem traxit. Nam Hadrianus Imperator, vt au-
ctor eſt Spartianus, cum in Aetia ſacra celebraret, ne qui-
dem ipſe cultrum in ſacris detulit, nullumque armatum
cum eo templum ingredi paſſus eſt. Iulianus quoque fidei
peſtis, ſimili de cauſa Arſacium Galatię Antiſtitem hor-
tabatur (in epiſtola de hac re conſcripta) ne ducibus in
Vrbem ingredientibus, ſacerdos obuiam fieret, niſi quan-
do ad templa deorum accederent; & id ſolum intrà ueſti
bulum, & eos intrantes nullum militem armatum proce-
dere permitteret, cum ſtatim ac dux delubri limen ingreſ
ſus fuerit, publicam perſonam deponat, & illam ſacerdos
induat.

Sed cum conuerſo rerum ordine, eccleſia iam ſit milite 8
completa, & ſacri Pontifices ſæpe ab Imperatoribus vin-
culis immaniter conſtricti, ad carcerē barbarica feritate
raptati, ſæpe mali mulctati fuerint; debet ne tantis homi-
num calumniis tanta dignitas exponi, & imbelles inter au
daces milites, vbi iura ſilēt, intrepide ſe committere? Cum
iam a priuato quoque homine eorum auctoritas temere
oppugnetur, quam veteres principes religionis cauſſa ma
xime ſuſpiciebant? Num erit conſonum eos vitam priua-
tam cum dedecore agere, & precibus ea conſequi velle,
quę ne armis quidem, inter tot, huius ſęculi ad deteriora
labētis ſcelera impetrari poſſunt? *Lachrymæ arma ſunt ſacer
dotum* (vt ait Ambroſius ad Auxentium) quando proſunt
& eccleſiam iuuant. Profuerunt apud Ethnicos, & illæ ma
xima negotia confecerunt, quibus noſtri nihil deferunt.
Nihil enim iam a flagitioſis hominibus conſequitur humi-
litas, nihil impetrat demiſſio. Quare decuit Pontificum ma
ieſtatem, non ſolum legibus, ſed etiam inſignibus ſplendo-
ris & imperij, hoc eſt, lictoribus, & publicis ſeruis armari,
vt vtroque tempore bellorum & pacis omnia legitime gu-
bernarentur.

Quod variis exemplis ex hiſtoria collectis confirmare 9

poſſumus. Primo anno Domini 637. Cum milites, Mauritij Chartularij auctoritate, ad diripiendum theſaurum ecclesiæ Lateranenſis diſcurrerent, a clericis cum armata iuuenum manu, qui a Seueriano PP. re prouiſa coierant, magna animi alacritate repulſi, eo prorumpere nequiuerunt. Pręterea Anno Domini 693. (vt Otho Friſingen. lib. 5. ca. 12. refert) Sergius PP. cum populum in Zachariam Protoſpatharium commotum, & armis tumultuantem ſedaret, eum laudauit, quod pro ſua ſalute, tam alacriter arma ſuſcepiſſet: ſic Exhilaratus dux in Campania, cum populos in Pontificem excitaſſet, a Romanis, qui ſuum Pontificem colebāt maxime, obtruncatus eſt. Hoc vero tempore, ante Pontificem Romanum nudos gladios in ſignum iuſtitiæ, & poteſtatis delatos fuiſſe, vt tanta Pontificis auctoritas, etiam in gladij materialis geſtatione omnibus conſpicua foret, aperte ex annalibus B. Corij colligitur, vbi ſic habet: *Ab Hadriano ſummo Pontifice Deſiderius rex impetrauit, vt qui nudum gladium ante Pontificem geſtarent, ij natione Longobardi eſſent, quemadmodum priuilegium teſtatur cui ſubſcripſit Ceſius Fontanus Romanus Apoſtolicus Cācellarius, ſcribendo adfuit Vrſinus Angelus Anno poſt Chriſtum 796. Actum Romæ Sexto Idus Maias. Idem etiam a Carolo Rege Francorum impetratum, ſubſcripſit Caroli ſcriba Aquinus Potinus, ſcribendo adfuit Iacobus Canarinus Mediolanenſis*. hæc Corius. Licet alio inſtituto id retulerit Ioannes B. Fonteius lib. 2. de Cęſiorum gente cap. 19. Subſecuta deinde fuerunt alia turbulentiora tempora, & quem antea populus ſummis honoribus proſequebatur, ſummis iniurijs abſque cauſſa onerare non deſtitit. Leoni III. Paſchalis & Campolus ciuitatis principes, Anno 799. diſpoſitis inſidijs vim grauem intulerunt; & impetu facto, Leonem corripuerunt, & in terra abiectum, Paſchali caput, Campulo pedes tenentibus, ſacris veſtibus exuerunt, atque oculos elidere, & linguā præſcindere contenderunt. Tractum inde in proximum templum, & ante altare cōſtitutum, diris affecere vulneribus; & mox ſemianimem & ſanguine madentem, in Monaſte-

rio S.Eraſmi arctæ tradidere cuſtodię. Quam impietatem Carolus Magnus imperator (vt ait Otho Friſing. lib. 5. cap. 30. & 31. & Robertus Guaguinus, & Paulus Aemilius lib.3.de geſtis Francorum) grauiſſimis pœnis proſecutus eſt. Ad hęc, Vido Tuſciæ dux, Marrochiæ vxoris impulſu, Anno Domini 917. Ioannem Papã X. miſſis in Lateranum ſatellitibus, faucibus ceruicali occluſis interemit. Præterea Stephanus IX. Anno Domini 941. per tumultum, Alberici factione oppreſſus, fœdisq. vulneribus affectus, extinguitur. Sed cum iam hoc fœdum facinus omnes homines exhorreſcerent, Creſcens Nomentanus Anno Domini 985. Ioannem XV. Vrbe per ſummam vim expulit, & poſtea Gregorium V. Anno 995. eadem vrbe, eodem ſcelere inductus, excluſit. Quare cum Pontifices ſummis onerarentur contumelijs, & ſæpe eorum dignitas populari temeritate maximo dedecore læderetur, ſuæ incolumitati conſuluerunt. Inter quos Leo IX. uir ſummæ prudentiæ & plurimi conſilij, Anno 1049. cum Patrimonio B. Petri quaſi iure hæreditario, a Normandis fuiſſet exutus, egregie docuit (vt ait Nicolaus Cardinalis ab Aragonia in ſuo regeſto) iura eccleſię armis eſſe defendenda. Eius vero ſucceſſor Stephanus X. Anno 1057. eamdem cauſſam intrepide ſuſcepit. Gregorius VII. Anno 1073. quamquã ab Henrico IIII. Vrbe obſeſſus fuerit, acerrime tamen eccleſiæ immunitatem (vt ait Guilielmus Tyrus lib. 1. ſacri belli cap. 13.) tutatus eſt. Hinc Paſchalis II. Anno Domini 1100. tametſi dolo malo ab Henrico V. in ſacro B. Petri templo petulanter & contumelioſe comprehenſus, ui & metu priuilegia eccleſiæ abrogarit, (vt ait Otho Friſing. lib. 7. cap. 14. & Ioannes Tuſculanus in epiſtola de captione Papę Paſchalis, quę habetur in notationibus ad epiſtolas Iuonis Carnotenſis) eam tamen dedecoris maculam, quam barbarico bello & furore ſuſceperat, deleuit; & Imperatoris improbitatem in ſynodo Romana compreſſit & extinxit. Sic Eugenius III. antiquos eccleſiæ hoſtes militia coercuit, cum Iordanem Petri Leo-

nis filium, ad ius Patricij ſui repoſcunt, ut auctor eſt Friſingen. lib. 7. cap. 31. Quibus exemplis facile perſuademur, multorum hominum improbitatem armorum pręſidio coercendam, & Pontificis amplitudinem armato milite defendendam; ne tot hominum iniurijs tanta auctoritas pateat.

Sed pręter hęc exempla, hanc eamdem rem alijs rationibus confirmemus. Primum ab his qui publicum magiſtratum gerunt uirgam principatus inditium deferendam eſſe, ſuperius ex uarijs auctoribus demõſtratum eſt. Ex quibus aperte liquet, ſummos magiſtratus lictoribus ſtipari oportere, ut in repentinis ſeditionibus compeſcendis, uel in grauioribus periculis propulſandis, plurimum viribus & potentia valerent, ad res humanas confirmandas, quę ſæpe armis & cædibus funeſtantur. Qua de re magiſtratus Populi Romani lictores, uiatores, & apperitores habebãt, ut ait A. Gellius lib. 13. cap. 12. non tam ut populum ſummouerent, quam vt ſontes in vincula adducerent. Hos tamen lictores Liuius lib. 45. & Seneca epiſtola. 95. ſummotores nuncupauit, qui ſoliti erant gladijs populum ſummouere; ij quoque ſacerdoti apparebant, eique occurrenti ſummouebant meretricem, vt auctor eſt idem Seneca & cõtrouer. 2. lib. 1. Iidẽ cõpulſores a Gellio lib. 10. cap. 3. executores, ſiue exactores ἐπιβασεῖς ἀπαιτηταῖς & ἐπιλλώταῖς dicũtur a Gloſſario. In libro legũ Vuiſigothorũ 2. tit. 1. cap. 17. & lib. 2. variarum, epiſtola 13. & 20. & lib. 3. epiſtola 20. & lib. 4. epiſtola 37. 22. 47. & lib. 8. epiſtola 24. & 27. & lib. 9. in edicto Athalarici, omnes hi lictores ſagiones ſiue ſaiones dicti fuere; fortaſſe, vt ait Iſidorus lib. 5. etymo. ab exigendo. Iſocrates orator, epiſtola 9. ῥαυδούχους appellat, ideſt, virgarios; quia illos magiſtratus ſuo ῥάβδῳ, ideſt, ſceptro & virga, innolẽtes & refractarios armat; vt his quaſi legum repagulis & viribus, turba ſummoueri, & ſubditi omnes in officio cõtineri poſſent, de quibus Martialis lib. 11. ad Baſſum ait.

Non conſulatus ipſe non Tribunatus,
Sæuique faces, nec ſuperba clamoſi
Lictoris abiget virga.

Eadem prorſus ratione apud ſacram ſcripturam lictores qui hominum impetus cópeſcere ſunt ſoliti, ῥαβδοῦχοι dicti ſunt, quia ῥάβδῳ virga cędebant reos, ut Acto. 16. cõſtat. ergo ſi ἀπὸ τοῦ ῥάβδου, ῥαβδοῦχοι originem ducunt; & lictores non niſi ad magiſtratus imperium indicandum deferri non poſſunt, profecto Romanus Põtifex qui virgam ferreã ad perfidos comprimẽdos a Chriſto Domino accepit, poterit ſtipari lictoribus: cũ ἀπὸ ῥάβδου ῥαβδοῦχοι, ideſt, lictores, & virgarij dicantur. Quę enim ratio eſt eos lictores geſtare non poſſe, quos confiteare uirgam habuiſſe? aut cui uirgam iure concedis, eidem uelle poteſtatem deferendi ſeruos publicos abrogare? Sed hęc liquido ex epiſcoporum iuriſdictione conſtabunt: qui cum ex ſuo proprio munere iudicium exercere, cruciare reos, & pœnas temporales tranſgreſſoribus imponere, & virgarum coertionem tamquam tormenta congruę ſeueritatis adhibere poſſint: (vt habetur cap. ſi res. 14. q. 6. & cap. circucelliones. 23. q. 5. & 86. diſt. cap. non liceat. & 95. diſt. cap. cum beatus. & 5. q. cap. 5. illi) merito debẽt ſtipari lictoribus, ut virgarum pulſatione veritatem extorqueant. Sed Auguſtinum de hac re in epiſtola 159. ad Marcellinum comitem loquentem audiamus: *Noli perdere paternam diligentiam quam in ipſa inquiſitione ſeruaſti, quoniam tantorum ſcelerum confeſſionem, non extendente equuleo, non ſulcantibus vngulis, non vrentibus flammis, ſed virgarum verberibus eruiſti: qui modus coertionis & a magiſtris artium liberalium, & ab ipſis parentibus, & ſæpe etiam in iudicijs ſolet ab epiſcopis adhiberi.* Virgarum uero pulſatio a lictoribus fiebat, qui gladios deferebant, ut ait Philo lib. contra Flaccum Aegypti pręſidem. Nam apud Alexandrinos, qui virgis reos cædebant, Spathephori, ideſt gladij geſtatores, & eorum duces Protoſpatharij dicebantur. Virgarum uero pulſatio liberis homini-

minibus ad hibebatur,cum ſerui flagris cęderentur, ut ait Iacobus Durantius lib 1. variarum,cap.15.

11 Ad hæc olim ante quam Imperatores ſua pręſentia & fide eccleſiam cohoneſtarent, ſeptem diaconi cum alijs ut Euariſtus Pontifex inſtituit, epiſcopi inter concionādum latus claudebāt;ne illis aliqua inferretur iniuria, quos pro viribus ab omni periculo abſtrahere,& cuſtodire debebant. Nam cum epiſcopalis dignitas omnium ſit ampliſſima,neceſſe fuit epiſcopos famulitij multitudine comitari (vt ait Iuſtinianus nouella 6. & Matthæus Blaſtares in Nomimo)tum propter muneris amplitudinem,cum ipſe inſpector & curator omniū Chriſtianorum ſit;tum ut teſtes bonorum operū ſecum deferant: quod Lutius Papa. in cap. iubemus,de conſecratione diſt.1. *teſtimonium eccleſiaſticum* appellauit, videlicet, *duos presbyteros & tres diaconos*,vt Ado Treuerenſis in martyrologio 4.non. Martij retulit.Nunc uero cum truculentiſſimi hoſtes apud Anglos & Germanos eccleſiam inuaſerint, qui ſummo odio epiſcopum Romanum proſequuntur, num ſuę dignitati conſulere,& vt decet totius Orbis & Vrbis Antiſtitem armis & militari prę́ſidio ſtipari crimē erit?licuit Euſebio Samoſateno,qui propter eccleſiā multos pertulit labores,ut ſcribit Theodoritus lib. 4. cap.12. *militari ornatu & thyara capiti impoſita Syriam Phœniciam, Palæſtinam peragrare et presbyteros & Diaconos cum hoc militari ornatu creare:* & Pontifici Romano omnium Antiſtitum principi ſatellites deferre non licebit? Licuit Syneſio epiſcopo ſanctiſſimo ſe armis tueri,& ipſis vitę ſuæ præſidia quęrere, ut in eius epiſtolis legimus, & ſola hæc culpa in Romanos Pontifices conferenda erit,a qua omnes alij liberantur?

12 Baſilius cum per ſummum ſcelus ante pręſidem duceretur,tota Vrbe trepidatum eſt;omnesq. ciues (communi omnium ardore)armis, ſaxis, & telis pro epiſcopi ſalute egregie decertarunt;vt S. Greg. Nazianz. id maximæ ciuibus laudi tribuit, cum eos pietas ad tanti epiſcopi defenſionem excitaſſet;& ſolum Romano Pontifici hoc idē

ponen-

ponendum erit in culpa quod alijs extra omnem culpam cauſſamque ponitur? S.Cyrillus Alexandrinus ob hanc cauſsā ab egregijs eccleſię ſcriptoribus magna cū laude cōmēdatur,& ſolus Romanus Pōtifex huius rei culpam effugere nō poterit? ſed ſāctì Cyrilli factū referamus,ut quantū a ſuſpicione reprehēſionis abſit Romanus Pontifex cōſtet. Oreſtes Alexādrię prętectus apertas cū Cyrillo inimicitias gerebat, eiuſq; potētiā oderat, qđ epiſcopus multa ex publicis negotijs ad ſe pertraxiſſet. Partes præfecti, Iudæi qui pietate ſe Deo pręſtare arbitrantur, ſi Chriſtianis malorū cauſſa ſint, tuebātur: eūq; contra Hierarcē Cyrilli chariſſimum concitarant. In quem Oreſtes commotus rapere hominem,verberibusq. ſubditum affligi iuſſit. Cyrillo cum huius mali caput compertum eſſet,primarios Iudæorum accitos, minis perterruit, vt populum commouere,& pręſidem aduerſus Chriſtianos concitare deſiſterent. Quibus verbis commoti,nocte intempeſta,cum S.Alexandri templum igne iniecto ardere, falſo per varios Vrbis vicos conclamaſſent; multos Chriſtianos,qui opem laturi acceſſerant, trucidarunt. Re comperta,poſtquam Iudęorum flagitiū in aperto fuit, Cyrillus multitudine ſtipatus, ſynagogas eorum ademit,bona publicauit,populo diripiēda dedit,eóſque vrbe expulit. Oreſtes Cyrilli oſor id ęgre ferens,ad Imperatorem retulit. Cyrillus etiam Iudæorum audaciam ad principem ſcripſit. vicit epiſcopi ſententia, eiusq. factum potiori cauſſa ſtetit. Qua de re vehementiſſime irritatus pręſes, in epiſcopū vindictam parabat, eiq. per ſummam vim dolo malo inſidiabatur: cuius graue periculum cum religioſi homines amouere voluiſſent, pluſquam quingenti Cyrilli vitæ pręſidio fuere. Vehebatur tunc Oreſtes curru multitudine ſtipatus: cui pij homines obuiam facti, eum conuicijs & contumelijs proſciderunt,gręculum & idolorum ſacerdotem nominantes: rei periculo perterritus præſes,ſe Chriſtianum iactat,falſo tamen. Quo reſponſo, quaſi per iocum miſſo, grauiter indignati,Oreſtem lapidum ictibus impetiuerunt. Ammonius

vero

vero, quem poſtea Thaumatium, ideſt, admirandum appel lauit Cyrillus, quia pietatis cauſſa egregie pro eccleſię libertate pugnauerat; ſaxum in faciem præſidis conieçit; quo totus ſanguine conſperſus ac cruentatus eſt.

13 Hi vero homines, qui intrepide Cyrilli cauſſam ſuſceperunt, non erant monachi, vt falſo Sozomenus affirmat, a quo Socrates lib. 7. cap. 14. & Nicephorus lib. 14. cap. 15. mutuati ſunt. Sozomenus enim cum epiſcopo, & monachis eſſet nimium quantum, quemadmodum & Theophilo Cyrilli auunculo infenſus ob hæreſim, quam ipſe animo conceperat; hanc notam Cyrillo imponere, & ex ſuis ſcriptis inuidiam apud omnes homines conflare conatus eſt. De qua re a Gregorio Mag. lib. 6. regeſti epiſt. 31. coarguitur. Fuiſſe vero collegiũ parabolanorum quod auxilium epiſcopo tulerat, vel hęc vna ſatis coniectura facit; quod ſub epiſcopi pręſidio fuerit, quod eodem anno; & eiſdem conſulibus, ſub quibus Oreſtes lapidibus impetitus eſt, Theodoſius Imperator de certo numero parabolanorum præſcripſerit; quod ſimul omnes incedere, & in forum publicumq. iudicium gregatim accedere, & Decuriones in hoc collegium cooptari vetuerit: vt in Cod. Theodos. lib. 16. tit. 2. conſtitutione 42. & 43. legimus. Parabolani vero dicti fuerunt, nõ quod glebę adſcripti, ut ait Alciatus lib. 4. diſpunctionum cap. 9. aut toto tempore uitæ hoſpitalium xenonumque ſeruitio addicti fuerint: ſed quod intrepidi, ut docet Cuiacius nouell. 3. & audaces ui derentur; & quia ad curanda ægrorum corpora deputati, in periculis non paruis uerſarentur, ex frequenti ægrorũ contactu. Hi etiam Parabolarij dicti, ſicuti & Iulio Frontino Matheſeos 8. beſtiarij, & Socrati paraboli. Qui certo numero ab epiſcopo ordinabantur, ut ex Cod. de epiſ. & cler. l. Parabolani. & l. nõ plures. aperte colligitur. Qui licet eccleſiæ officia non exercerent, & proprię eccleſiaſtico muneri addicti non eſſent, quodammodo tamen miniſterio eccleſiæ deputati videbantur. Quod plane fuit in cauſſa, cur ob collegij ſocietatem & inſtitutum, monachi

dicti fuerint: quemadmodum & Copiatę, ideſt, laborantes, & qui cereos, & funabula deferebant; ex C. Theodoſiano lib. 10. & lib. 16. tit. 2. l. 15. a clericis ſeparantur, & inter iuuenes recenſentur, cum certa eſſet clericorum ordinatio, horum non ita. hi vero qui lectuli defuncti miniſterium faciunt, dum ad ſepulchrum defertur, decani dicuntur. l. non plures. C. de ſacroſanctis eccleſijs, vt A. Auguſtinus in notis ad Iuliani epitomē docuit. Arma vero eos detuliſſe ad pericula ſubmouenda, quæ ipſis noctu diuque in deportatione ęgrorum defunctorumq. imminebant, ratio ipſa adhortatur. ab his vero decanis eccleſiæ carcer decanica dicitur, ab illorum fortaſſe miniſterio, ut idem A. Auguſt. eſt auctor. Vereor tamen ne idem a B. Ignatio epiſtola ad Antiochenos operarij, & a Hieronymo ad Ruſticum foſſarij dicti ſint.

Hos vero parum a defenſoribus eccleſię diuerſos fuiſſe, facto ipſo comprobamus. Licuit tunc parabolanis epiſcopi iniurias armis propellere; licet etiam nunc defenſoribus materialia arma in eccleſię defenſionem capere, & hoſtes impetere. Quod Nicolaus I. in epiſt. ad epiſcopum Treuerenſem, vt habetur ca. auctoritatem. 15. q. 6. aperte demonſtrauit his verbis: *Quin etiam præfato fratri noſtro filijsq. Treuerenſis eccleſiæ, illiusque defenſoribus hæc in mandatis damus, vt ſpirituali, & materiali gladio tamdiu malignos illos eorumq. fautores inſequantur, quouſque cum integritate poſſeſſionis directe reuocentur.* Hinc conſtat Eccleſię Antiſtites poſſe bellū indicere, hoſtes bello laceſſere. 23. q. 8. ca. igitur. & ca. hortatu. & ca. vt pridem. inimicos inſequi gladio (vt ait S. Gregorius lib. 12. epiſt. 21.) infideles impugnare, vt Leo IIII. contra Agarenos exemplo demonſtrauit. Qui vero fuerint iſti defenſores, ſynodus Mileuitana cap. 16. & cap. 19. & Petrus Vrbeuetanus epiſcopus, in B. Damaſi papæ annotationibus explicauit: *Gregorius*, inquit, *vt eſt auctor Ioannes Diaconus, remotis a ſuo cubiculo ſæcularibus, clericos ſibi prudentiſſimos conciliarios familiareſq. delegit. Nemo laicorum quidlibet palatij miniſterium vel eccleſiaſticum pa-* 14

trimonium procurabat; ſed omnia eccleſiaſtici iuris munia; eccleſiaſtici etiam viri ſubibant: ob quod ſe nonnulli procerum ſub obtentu religionis tonſurare cœperunt. Hæc conſuetudo poſtea diu obtinuit in Romana eccleſia, vt omnia eccleſiaſtica miniſteria, tũ priuatim, tum publicè per ſolos clericos adminiſtrarentur. Quare Notarij & defenſores, ex clericorum quoque ordine ſumebantur: quod tamen & ante Gregorium obſeruatum a religioſis Pontificibus, & ex reſcriptis Zoſimi & Gelaſii Pontificum apparet. Quod autem fuerit defenſoris officium, breuiter deſcribitur a Pelagio in reſcripto ad Antoninam Patriciam, quæ poſtulabat monachum fieri defenſorem: in quo oſtendit monachi, & defenſoris officium conuenire non poſſe. Illis enim, inquit, quies, oratio, labor manuum: at his cauſſarum cognitio, conuentiones, actus, publica litigia, & quæcumque vel eccleſiaſtica inſtituta, vel ſupplicantium neceſſitas poſcit. Præterea ex decreto Vrbani patet, procuratoris nomine intelligi quemlibet eccleſiaſticarum rerum adminiſtratorem, præpoſitum, Oeconomum, vicedominum. Defenſoris nomine aduocatum, caſtaldum, & iudicem. Vicedomini & maiores domus ab epiſcopis, ex ordine cleri inſtituebantur viri prudentes, quibus epiſcopij, ideſt, domus epiſcopalis, cura & adminiſtratio cõmittebatur, in hoſpitibus ſuſcipiendis, et cauſſis cognoſcendis, ut apparet ex reſcripto B. Gregorij ad Antonium, & ad Clementiã Patriciam. hęc ille: qui plane defenſores nobiles uiri cum primum a Gregorio clericali tonſura inſigniri cœperunt, in Vrbe per ſingulas regiones fuerunt diſtributi; ut ait Ordo Romanus, quem Gregorius Caſſander edidit. tum in primis ut ſub eorum pręſidio eccleſiæ forent, tũ uero etiã ut ipſummet epiſcopum, eiusq; cauſſas omni ſtudio defenderent. hi ſimiles defenſoribus ciuitatum cenſentur, ut ex Alcia. lib. 3. diſp. ca. 5. patere poteſt: & ſcholaſticis ex foro, ut Concil. Sardicen. cap. 10. & Cartag. cap. 9. ideſt, cauſſarum defenſoribus ſiue aduocatis. omitto etiam eos epiſcopos, qui heroum munere temporalem dignitatem epiſcopatui annexam habent; quique & cæli & terrę principes, vt ait Hermoldus Buzouienſis lib. 1. cap. 4. regum beneficio inſtituti ſunt: quibus non ſolum ſuo iure arma por-

tare,ſed etiam principum munere armatis militibus ſtipari cõuenit, vt Herbipolenſis epiſcopus,qui nudum gladiũ habet ad aram maximam collocatum: de quo tritũ illud: *Herbipolenſis ſola, enſe iudicat & ſtola.* vt Renatus Chopinus lib.2.de ſacrapolit. tit. 1. Reginaldus Pol.lib. de Papę poteſtate cap. 43. Vnde Iulius II. ut ait Cardinalis Bembus lib.12. hiſtorię Venetę, Heluetios omnes honorifico nomine defenſores appellauit,quod omni armorum genere, libertatis Pontificię aſſertores fuiſſent.

Hęc quidem hactenus, quod reliquum eſt de hæreticorum rationibus dicam. Hæretici, quibus nihil tam eſt cordi, quam ut Romanam eccleſiam impugnent; non modo presbyteros armis ſtipari uetant, ſed etiam priuatos homines,qui nullo eccleſię muneri dicati addictique ſunt, arma deferre tam prohibent quam quod maxime. Hi Anabaptiſtarum partes ſecuti, Baculares ſiue Strebelli dicti, hominum genus,ſi Deus faxit,tranquillum & quietum;cũ gladium numquam deferant, telum & quoduis armorum genus,pręter baculum,abijciant;& neſcio quæ eos inceſſit religio,vt vim ui repellere ne fas habeant. Hi parum a ſcelere Iuliani abſunt, qui Chriſtianis militię muneribus, & magiſtratu gerendo interdixit, quod diceret in Chriſti Euãgelio ab omnib. Chriſtianis gladij poteſtatẽ ſublatã. Quos ſępe illudens,his verbis excipiebat, ὑμέτερον τὸ κακοπαθεῖν: *Veſtrũ eſt*, inquiens, *iniurias perferre, non vindicare.* Franciſcus etiam Duarenus lib. 1. de ſacris eccleſię miniſterijs cap. 4. facetijs quibuſdam ex Fulgoſo collectis, ſatis imperite nos cachinnis irriſit,& gladij poteſtatẽ impugnauit. Qui omnes ſuas partes tuentur ex Matth. cap. 5. vbi Dominus maxime vindictam prohibet. Id etiam conficiunt ex Cyrilli commentarijs in Ioannem lib. 11. cap. 35.& 36. vbi gladij uſus videtur interdictus. Mox rationibus idem conſequi tentant;cum nulla res ſit,quę magis tyrannidem prodat, æque ac militum armatorum cuſtodia. *Omnes enim*, (vt ait Ariſt.lib.1. Rhetoricorum ad Theodectem) *qui corpus ſatellitio tutati ſunt,populi dominatum affectarunt,*

rũt, vt Piſiſtratus Theagenes, et Dionyſius ſatellitio tyrannidẽ oc cuparunt. Prętereà *parum fidei* (vt ait Valerius Max. lib. 9. cap. 14.) *in pectoribus hominum reponunt qui dignitatem ſuam ſtipatorũ cuſtodia retinent.* Ad hæc Dion Chryſoſtomus ora tione 4. de regno, nullis armis reges ſtipari debere conclu dit; cum timidi hominis, aut eius quem nimis ſubditi auer ſantur ſit, arma geſtare. Quare cũ timere a rege alienũ ſit, oĩa debet arma deponere, & ea tyrãnis relinquere; qui cũ nihil tutũ habeant, propterea in armorum præſidio, vt ait Dion oratione 6. ſuam dignitatem conſtituunt. Sed quæ inde deducant uideamus: *omnes*, inquiunt, *hæretici, qui in eccleſiam tyrannidem exercuerunt, illam ſatellitio adepti ſunt.* Paulus Samoſatenus (ut ait Nicephorus lib. 6. cap. 30.) cum uirus ſuæ hæreſis euomere voluiſſet, primum ſatelli-tio ſeptus eſt. Quod plane quantum ab eccleſiaſtica diſci-plina abhorreret, omnium epiſcoporum conſenſu, qui eius factum deteſtabantur, comprobatum eſt. extat eorum epiſtola ad Dionyſium Papam, in qua ita legimus: *Ne-que ut ille ſuperbierit, ſublatusque fuerit mundanis dignitatibus, ducenarius potius, quam epiſcopus uocari uolens. Neque ut per fo-rum ſuperbę inceſſerit, ſimulque epiſtolas legerit, & dictaue-rit cum ſatellitio publicitus ingrediens, magno numero his pracę dentibus, illis ſequentibus.* Ad hæc, Neſtorius ſuam impie tatem militum gladiis defendebat, quod ei tom. 2. cap. 2. Concilij Epheſini ponitur in crimine, cũ manu militari ſti patus alios epiſcopos expulerit.

16 Quę omnia argumenta facile diluuntur. Primum Mat-thæi locus Moyſi legis rigorem, & acerbitatem tempera-uit, ne ſcilicet nimium perfracte ulciſcendo contumeliam propulſemus. Olim oculum pro oculo, dentem pro dente exigebant ueteres, Chriſtus lenitate uſus: *Ego* ait, *dico uobis non reſiſtere a malo, ἀντιστῆναι*, ideſt, nolite oppoſiti eſſe atq; aduerſi ad contumeliam illatam acerbius vindicandam: *Sed ſi quis percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe & ei al teram,* ideſt, habes Deum iudicem, ipſe tuorum aduerſario rum defenſor & vindex erit; tu nihil vindices priuato ſtu-

dio,

dio, ſed quoad præparationem animi, quę in cordę eſſe debet, ut ait S. Auguſtinus, lib. 22. contra Fauſtum, cap. 76. *Suſtine omnes iniurias: perfer labores propter electos*, vt ait Paul. ad Timot. 2. *vt & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Neque enim oportet ſeruum Dei litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, patientem & cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati.* ideſt, non decet ſeruum Dei eſſe refractarium aut contentionum ferocitate decertantem, id enim ſignificat μάχεσθαι, neque impetu, & acriori conatu tumultuantem, aut iniurias animoſitate proſequētem, ſed pacificum, quietum, lęnem. Qua de re pręſcripſerat Paulus epiſcopum non debere eſſe *percuſſorem*, eorum præſertim qui fidem nouiter amplectuntur. Cum ij qui fidei rudimētis imbui ſolent, ſeuere & aſpere tractandi nō ſint, ſed moderate ac modeſte admonendi: *ne quaſi duro baculo obiurgationis* (ut ait Origenes in Exod. homil. 10.) *veritatis fœtus ab illis animo conceptus, elidatur*. Chriſtus uero nūquam cuiquā ſui ipſius defenſionem prohibuit. Nam cum a milite palmis cæderetur, ſe iniuſte cæſum conqueſtus eſt. & Paulus colaphis ictus, ſacerdotem maledictis fixit his verbis: *Percutiat te Deus paries dealbate*: Nec abhorret a noſtra ſententia S. Cyrillus ab illis citatus, qui Petri factum commemorans, a legis inſtituto, ut dentem pro dente excuteremus, alienum non fuiſſe docet: eaque de cauſa a Chriſto, qui modeſtiam moderationemque animi exemplo & oratione docuerat, grauiter obiurgatum. Iulianus uero peruerſe & malitioſe Euangelij auctoritatem ludificatus eſt. Quę non publicam vindictam prohibet, ſed priuatam, ex ira, & contentione exortam. In qua re non modo improbiſſime cauillatus eſt, ſed etiam dum eccleſię bona pręſcriberet, & fortunas ſacerdotum eriperet: vaſa ſacra in fiſcū inferret, at ait Theodoritus lib. 3. cap. 12. cauſſabatur ſe religioſe id agere, quo facilius Chriſtianis opem ferret; ne ad regnum cælorum properantes, pecuniarum mole retraherentur, vt in epiſtola ad Eubolium legimus. ſed pręclarum ſuæ diſciplinæ habuit auctorē Dionyſium Tyrannū,

qui aureum amiculum Eſculapii ęſtate graue,hyeme frigi-dum eſſe cauillabatur, vt templi bona ſurriperet. Franciſcus vero Duarenus cum dicterijs & iocis epiſcopos exci piat,ſui muneris,ideſt,hęretici immemor nō fuit. Ea enim quæ hæretici aſſequi, aut confutare non poſſunt, magno deludunt riſu, vt apud omnes in nos inuidiam conflent. ſic Iudæi non intelligentes Domini verbum Marci 5. Dominum irridebant, & Act. 2. illudentes Apoſtolos muſto madidos appellabant.

17 In his vero,quæ ex Ariſt. obijciunt, produnt ſe ipſos parum in eius diſputationibus verſatos: qui lib. 1. Rhetoricorum, τέλον τυραννίδος φυλακὴν, ideſt, *finem tyranni cuſtodiā*, nominat; cum nihil aliud moliatur, quam vt ciuitatem opprimat,& virtutē ui & dominatu extinguat. Quod ex Euripide in Supplicibus,& ex Herodoto in concione Ottane demonſtratur, a Ioanne Stobęo ſerm. 47. Quis vero regum,qui ſui corporis præſidium in armato milite collocauit, finem in cuſtodia potius,quam in ſacrarum legum obſeruatione conſtituit? Cum illi armis rempub. non opprimāt, nec leges pro arbitratu & libidine, ut Baculares, rogēt aut imperēt,nec eas vt tyranni necibus conſecrēt, ſanguine cruētent? Ciuitates uero & regiones armis muniendas defendendasque eſſe, idem Ariſt. lib. 7. Polit. propter eos,qui imperium detrectant, vel qui inferre iniuriam conantur,egregie demonſtrauit. & lib. 3. cap. 5. πρὸς τὴν πλημμελῶν ἰσχὺν paratas,inſtructasq. militum legiones,ducesque armis ſtipandos eſſe affirmauit. Qua de re non ſolum Romani Imperatores, ſed etiam qui primariam dignitatem ab Imperatore, apud aliquam prouinciam aſſequebantur, cum ſplendido militum ſatellitio,pro dignitate ſua,quotidie pro tribunali cauſſam dicebant: vt Philotomus martyr,teſte Nicephoro lib. 7. cap. 9. Romano more,militibus ſtipatus,apud Alexandrinos iudicabat. Illa vero exempla nihil conficiunt, ſunt enim σημεῖα, ideſt, leuia quædam ſigna,quæ facile eluduntur; non tamen τεκμήρια, ideſt,argumenta, vt ait Ariſt. 1. Rhet. quibus res neceſſario concluditur.

ditur. Etenim timere regi indignum eſt, ſed inſidias vereri, non tam regis quam cuiuſuis hominis proprium. Præſertim hoc tempore, ubi populi a Buchanano hæretico edocti, moliuntur pro ſuo arbitratu reges in dicta cauſſa temere ſummouere, alioſque pro libidine ſubſtituere. quod velitandum Niniano Vuinzeto, pro Scotis regibus relinquo.

Sic etiam illi epiſcopi, quos nobis per calumniam obtrudunt, tamquam munere indigni explodendi ſunt: qui ut hæreſes ſererent, & ſua iam omnibus comperta flagitia tuerentur, armis reluctantem populum adigebant, & armatorum exercitu eccleſiam occupabant. Quod Arianis S. Ambroſius lib. 8. in Lucam cap. 16. obiicit, & Auxentio in grauiſſimo ponit crimine lib. 3. de Spiritu sācto, cap. 11. & lib. 5. epiſtolarum, & in oratione contra eumdem Auxentium, quem inſectatur his uerbis: *Legimus in Propheta, quod viderit falcem volantem, hanc imitatus Auxentius gladium volantem per omnes Vrbes direxit. Tu Domine Ieſu vno momento mundum redemiſti, Auxentius uno momento tot populos trucidauit, alios gladio, alios ſacrilegio. Meam baſilicam petit cruento ore, ſanguinolentis manibus:* et paulo poſt. *Quos non potuit Auxetius ſermone decipere, eos gladio putat eſſe feriendos: Cruentas leges ore dictans, manu ſcribens, & putans quod lex fidem poſſit hominibus imperare.* Hinc S. Cyprianus epiſt. 55. ad Cornelium Papā, Nouatianum hæreticum, ideo ab eccleſia eiectum ſcribit, quia ad eam caterua & factione deſperatorum hominum ſtipatus, ad tumultus excitandos acceſſiſſet. eoſdem Leo Papa epiſt. 89. grauiter obiurgat, quod militari manu ad inuadēdas per tumultum eccleſias acceſſiſſent. Fuit enim inter Nouatij ſectatores, quidā Purpureus epiſcopus Limatenſis, ut refert Auguſtinus lib. 3. contra Creſconium cap. 17. qui & catholicos militari vin dicta occidit, & ſororis ſuæ filios propriis manibus interemit. Hic cum Cæciliano catholico epiſcopo apertas inimicitias gereret, inter manus impoſitionē, caput quaſſadū eſſe iactabat. Fuerūt etiam in Africa uarii epiſcopi hæretici, qui

ei,qui cruentis morſibus eccleſiam pauerunt, diaconos ſuper altare occiderunt, vt ait Optatus lib. 2. lacerarunt viros,infantes necarunt, in matronas vim intulerunt,vt ſuã, ideſt,malignantium eccleſiam,vi & armis defenderent.ſic Cyrila Arianorum Patriarcha, vt ait Victor Vticenſis lib. 2. cum ſatellitibus in ſuperbiſſimum concedens thronum, catholicos vexabat, & epiſcopos centenis fuſtibus tundi iubebat.ſic Euſebiani, vt ait S. Athanaſius Apologia 2.quo veritatem impedirent, comitem aduocarunt ad ſynodũ,vt militibus ac ſatellitio ad errores cõpelleret epiſcopos. Prætermitto Circumcellionum flagitia, quæ ab Optato lib. 3. copioſe deſcribuntur; apud quos nihil tam pium erat, quam ui & armis omnem catholicam pietatem tollere: qui cum eccleſiæ monitis corrigi non poſſent, eorum veſania,Arcadij & Honorij lege 31.(quę habetur in Cod.Theod. lib.16.tit.2.de epiſcopis & clericis) coerceri debuit. In qua Imperatores iudicibus Africanis præſidium armatæ apparitionis contulerunt, aduerſus eos qui vi irruebant in eccleſias, earumq. clericos vexabant. de quibus Optatus lib. 3. *Inuenerunt in tanta neceſſitate conſilium,vt armatum epiſcopi militem poſtularent, non per quem alicui vim facerent, ſed vt vim a Donato ſupra memorato epiſcopo diſpoſitam, prohiberent*. eadem quoque ratione Marcianus Imperator (vt ait Liberatus cap. 13. breuiarij) Eutychianos hæreticos qui Chalcedonenſi ſynodo, multis ſtipati militibus conuenerant, armis inhibuit; ne vanis contentionibus diſſidia in eccleſiã excitarent: Romanus tamen Pontifex numquam armis eccleſias inuaſit, nec militari præſidio fretus, religionis & fidei controuerſias pro arbitratu compoſuit. immo vero poſtquam,ſplendido armatorum comitatu ſeptus eſt, nullam ſibi ampliorem quam antea habebat auctoritatem arrogauit, nullam maiorem dignitatis acceſſionem fecit, nihil pro voluntate imperauit., ſed moderate, vt omnibus antea ſine ſatellitio præſcribebat,ſic etiam modo militibus ſtipatus, omnia ſumma prudentia & benignitate moderatur. Armis vero vitæ præſi-

dia quærere. S. Paulus. Act. 21. ſui exemplo licitum eſſe
demõſtrauit: qui cum inſidias ſibi a Iudæis inſtructas perti
meſceret, ductores poſtulauit armatos, ne ipſe Iudęorum
inſidijs opprimeretur. Quo exemplo B. Auguſtinus (epiſto
la 50.) Maximinianum epiſcopum commendat, cum tuē-
dę ſuæ eccleſię cauſa milites conduxiſſet, vt habetur 23. q.
3. ca. Maximinianus. Idem etiam confirmat in epiſtola
154. ad Publicolā & habetur 23. q. 5. ca. de occidendis.

Sunt enim milites tamquam muri firmiſſimi hoſtium in 19
curſionibus obiecti, quibus aduerſarij depelluntur, & ec-
cleſiæ Paſtores gregem tranquille ducere & reducere, abſ-
que impedimento poſſunt. quod 1. Reg. cap. 25. ouium
Paſtores de militibus Dauid affirmauere his verbis: *Ho-
mines iſti boni ſatis fuerunt nobis, & non moleſti, nec quidquam
aliquando perijt omni tempore, quo fuimus conuerſati cum eis in
deſerto. Pro muro erant nobis, tam in nocte quam in die, omni-
bus diebus quibus pauimus apud eos greges.* Boni ſatis eſſe dicū
tur milites, ideſt, opportuno in tempore ualde utiles ad ho
ſtium incurſiones debellandas; neque moleſti, ſi nulli iniu
riam imponunt, neque rem alienam tamquā prędones ſur
ripiant; ſed loco muri ſeſe uitę periculis alacriter obijciāt,
pro pace & tranquillitate reipub. & pro eccleſię dignitate.
Qui enim huiuſmodi ſunt, merito fortunati appellari poſ-
ſunt, cum Euangelij præceptum ipſis iniunctū adimpleāt.
Quid faciemus & nos dicunt milites ad Ioannem Luc. 3.
cap. Qui nō ait, ite, arma deponite, bellorum fugite certa-
mina, ſolis orationibus uacantes, Imperatoris præcepta
cōtemnite: ſed alia quędam propoſuit obſeruanda, dicēs:
*Neminem concutiatis, nulli calumniam faciatis, & cōtenti eſtote
ſtipendijs veſtris. Concutere uero* (ut ait S. Ferrandus Diaco-
nus Carthaginenſis ad Reginū, reg. 2.) *eſt aperte facere uiolē
tiam, calumniari, occaſionem nocendi requirere, quoniam qui ſti-
pendiis ſuis noluerit eſſe contentus, temerarijs exceſſibus aliena
diripiat, neceſſe eſt.* Milites vero qui urbē cingunt, Vrbē op-
primere non debent, ſed eam tueri; nec uexare populos,
ſed defendere; nec diruere ciues, ſed hoſtes arcere.

CAP.

CAP. X.

Petrum 1. epiſtola cap. 5. dominatum epiſcoporum, non tamen poteſtatem ſuſtuliſſe.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopi coacte non debent paſcere ſubditos.*
2 *Grex qui eſt intra eccleſiã benigne puniri debet.*
3 *Grex Dei moderate tractandus eſt.*
4 *Subditi coacte paſcendi non ſunt.*
5 *Epiſcopis non eſſe ſublatam poteſtatem ſeuere puniendi inobedientes.*
6 *Cum eccleſia hoſtibus infeſtatur, epiſcopi eam armis tueri & perfides bello depellere poſſunt.*
7 *Quo tempore lenitas, & quo pœna exercenda ſit.*
8 *Emendatio, quæ per uim ſit parum prodeſſe videtur.*
9 *Epiſcopi non ſtudio auaritiæ, ſed ex animo gubernare debẽt.*
10 *Epiſcopi non debent arroganter dominari.*
11 *Epiſcopus forma gregis quo pacto fiat.*

1 EX his quæ copioſe demonſtrata ſunt, locus Petri cap. 5. nobis antea oppoſitus, & a Frãciſco Duareno obiectus, ſatis illuſtris atq; in aperto eſt: qui tãtũ abeſt, ut noſtrã infringat ſentẽtiã, quã quod etiã eamdẽ multo ualidius confirmet. Sed eius uerba in mediũ proferamus: *Paſcite*, inquit Petrus, *qui in vobis eſt gregẽ Dei, Prouidentes, non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum, non turpis lucri gratia, ſed voluntarie, neq; dominantes in clericis, ſed forma facti gregis ex animo.* Petrus oẽs epiſcopos monet, ut uolũtarie, & ex animo gregi proſpiciãt ἐπισκοποῦντες idest, diligẽter, & attẽte, nõ ſolũ ea, quæ ante pedes, ſed etiã ea quę remota ſunt videant (ita enim ex Tucydide lib. 8. interpretatur hanc vocem Priſcianus lib. 18.) & omnium commodis ita con-

ferant atque inuigilent, vt omnium incolumitatis, vitæ & ſalutis ratio habeatur.

Sed quem gregem ea cum animi moderatione paſcere debent? num errantem in alienis paſcuis, aut ad aliorum paſtorum compaſcua diuertentem, aut alienos ſaltus & ſtabula inſequentem? certe talia a Petro mandata epiſcopi non acceperunt, vt ea ita diligenter perſequi debeant; ſed ſolum illis eſt iniunctum, vt gregem qui in ipſis erat, & gregem Dei ſuauiter erudirent, & benigniſſime fouerent. Quod exploratius ex verbis grçcis intelligitur: *Paſcite*, inquit, non quemcumque, ſed *qui in vobis eſt* ποίμνιον *gregem*, ideſt, eas pecudes, quæ in ouili veſtro continentur, quę vobis parent ac obediunt, quę plagis retibusq. veſtris ſeptæ ſunt, quæ veſtris caulis ſtabulisq. incluſę. Qui plane ſenſus ex ea voce, ποίμνιον deducitur, quę a noſtro interprete Ioannis 10. cap. & Luc. 17. *ouile* translata eſt. 2

Nec ſolũ id eſt in cauſa, cur Petrus epiſcopis pręcipiat diſciplina eccleſiaſtica moderate vti; ſed etiam illud quod cõſulto oppoſitum eſt τοῦ θεοῦ ideſt, *quæ ſunt Dei*. Nam oues quę Chriſti paſtoris uocem audiũt, quę illius ſonos agnoſcunt: *quæ ad montes æternos* Chriſti veſtigijs inſiſtẽtes ſpõte accedunt, ut ait Michęas cap. 3. fiſtula potius ad paſcua ducẽdę, & inde opportune reuocãdę, tũ ſuauiſſimis herbis ſaginandę ſunt; in quibus tandẽ feſſę molliter ſternant corpora: quam pedo, ſtimulis, & fundę iactu urgendę. ergo *paſcite*, ait Petrus, benigne & ſuauiter pecudes, quę ex animo Chriſti pręcepta obſeruant, in alias ſeuere acriterq. vindicate, & dominationem imperiumq. exercete. 3

Ex LXX. interpretatione.

Sed hęc vberius doceamus. *Paſcite*, ait, *nõ coacte*, μὴ ἀναγκαστῶς, quod plane fieri non poteſt, ſi ſtabile & firmum ſit futurum eccleſię imperium. Quidquid enim violenter agitur, non ſecus ac plantis accidit; quæ manibus inflexę atq; diſtrictę, quam primum miſſę factę ſunt, grauiori impulſu ad ſeſe quaſi ad ſuum ingenium reuertuntur. Quod autem a libera voluntate proficiſcitur, ęquiſſimum & firmiſſimũ eſſe ſolet, vtpote beneuolentię vinculis adſtrictũ atque ſeruatum 4

uatum. Quod Gregorius Nazianzenus apologetico 1. & oratione 2. ad Patrem, cum ei eccleſię cura imponeretur, ex profeſſo Petri locum exponens, docuit his verbis: *Lege noſtra cautum eſt, ne homines coacte, ſed ſpontanee gubernentur; quod ita ſit comparatum a natura, vt quidquid vi teneatur, prima quoque occaſione oblata, ſe in libertatem aſſerat. Sic noſtrum imperium vel magiſterium nulla re æque ac voluntatis libertate ſeruatur: Volentium enim non coactorum eſt pietatis ſacramentum.*

5 Bene quidem Gregorius docet eos qui primum fidei rudimenta imbibunt, uel qui Chriſti inſtitutis initiantur, ſponte & leniter a ſcelere reuocandos; non tamen impulſu & quaſi ui ad eccleſiam adigēdos. Quemadmodum etiā & eos, qui iuſte religionem Chriſti priuatim & publice colunt, nō coacte paſcendos admonet, ſed uoluntarie. Cum aduerſus eos, qui omni uirtutū genere recte inſtituti ſunt, vel qui Chriſti pręcepta ex animo complectuntur: *Lex nō ſit poſita* (ad Galat. 5.) quæ cogat, uel quæ ſęuitiam in bene agentes adhibeat; *cum Principes non ſint timori boni operis* (ad Rom. 13.) ideſt, ad terrorem bene operantium conſtituti. Sed ſi obedientiam epiſcoporum, conuerſa rerum natura, ſubditi populi tamquam iugum ſuauiſſimum religionis excuterent, uel doctrinam fidei, uel morum inſtitutionem, propter ſui perfidiam abijcerent, aut propter prauitatem animi deponerent; tunc temporis decet epiſcopos bellica pręſidia deducere, arma parare, ſe ſtrenuos & bellicoſos prębere, & ut firmiſſimę, ac munitiſſimę Vrbes, ſe cōtra omnia pericula, & inſidias obijcere.

6 Quod plane Iohel, propheta cap. 3. docuit, vbi non ſolum fortes admonet, ut omnia armorum genera parent, inſtrumenta ruſtica comminuāt, & ex eis bellica arma conficiant: ſed etiam infirmos & debiles adhortatur, ut armis induti iactent ſe iam fortes & ſtrenuos euaſiſſe. Sed Iohelem loquentem audiamus: *Clamate hæc in gentibus, ſanctificate, & indicite bellum; ſuſcitate robuſtos, aſcendant omnes viri bellatores. Concidite aratra veſtra in gladios, & ligones in lanceas,* *infir-*

infirmus dicat, quia fortis ego ſum. Lxx. viri habēt ὁ πρᾳὸς ἔστω
μαχητὴς, ideſt, qui clemens et manſuetus eſt, ſeſe ad præliū
& pugnā accingat, ac ſtrenuū et bellicoſum ſe prębeat. ſed
ij plane māſueti dicūtur, quos Paulus ad Gal. c. 6. ſpiritua-
les, ideſt, ſacerdotes appellat, eisq. iubet ἐν πνεύματι πρᾳό-
τητος *in ſpiritu lenitatis*, & 2. ad Tim. 2. ἐν πρᾳότητι, ideſt, *cū mo-
deſtia*, & ad Titū 3. πρᾳότητα, ideſt, *māſuetudine* fratres corri
pere. Qui plane māſueti hoc in loco excitātur ut maturent
bellū, et eos qui moribus, & religioni infeſti ab honeſtis in
prauos abſtracti ſunt, acriter impugnēt. Ita docuit Greg. 6
Nazianze. Apolog. de fuga: qui cū primū ad benignitatē
ſacerdotes adhortaretur, tamdē orationis ui, in hanc no-
ſtrā ſententiā deductus eſt: *Atq; utinā*, inquit, *ex eorū ſim nu-
mero, qui pro veritate decertāt, et in hominū offenſionē incurrūt.
Immo etiā me in hoc numero eſſe gloriabor. melius enim et optabi
lius eſt egregiū bellū, pace impia a Deo diſtrahēte: ob eāq; cauſſam
clementē hominē Iohel 3. tāquam belli gerendi facultate inſtru-
ctū, Spiritus ſanctus armat ad pugnam.* Et oratione 1. de pace
ita habet: *Hic enim leniſſimus quisq; ac moderatiſſimus intume
ſcit, & manſuetus uere pugnax efficitur; cum ſe lenitate ſua Dei
iacturam facere perſpicit, immò ut rectius loquar, pro lapſione
ſua Deum detrimento afficere, qui nos & pro diuitijs ſuis habet,
diuites reddit.* hęc ille.

Quo autē tempore, qua uero ratione hæc lenitas exer- 7
cenda ſit, ad finē eiuſdē primę orationis Gregorius expli-
cauit: *Nā cum manifeſto ſe prodit impietas, tū & ferro, & flāmis,
& turbulentis tēporibus ac principibus, atq; oībus deniq; rebus ob
uiā oportet eamus; quā ut mali fermenti participes efficiamur, per-
nicioſaq. doctrina imbuti aſſentiamur. At cū ſuſpicio ſola animū
noſtrū male habet, timorq; nullis certis argumentis innixus, tū le
nitate potius quā celeritate uti conuenit, demiſſione potius quā im
perio: longeque melius & cōducibilius eſt, ut nos inuicem inſtaure-
mus, quā ut præiudicio per ſeceſſionē facto, violento potius quā fra-
terno more, pro poteſtate correctionem imperemus.*

Violentam corrigendi poteſtatem appellat Gregorius 8
ea quidem de cauſſa, quia ęmendatio quæ manſuetudine
& pre-

& precibus impetratur, potius ad hominum benignitatẽ videtur accedere, quam quæ vi, & bello conficitur. Quod Menelaus, apud Libanium dicebat, humanius eſſe prius ius ſuũ verbis obtinere, quam armis conſequi. eadẽ plane ratione Gregorius Apologetico 1. quod neceſſitate extorquetur violentum iudicauit. Id enim τυραννίζω apud eundẽ in oratione Baſilij, uim afferre ſignificat. Non quod hęc per vim emendatio ſit ab eccleſia repellenda; ſed quod parũ illis prodeſſe videatur, ſi fidei deſertores effecti, religionem ob ſolas pœnas ſeruare cogantur: quod ſæpe experimentis comprobatum eſt.

9 Subiungit Petrus: *paſcite*, inquit, *non turpis lucri gratia, ſed voluntarie*. Nam qui auaritię ſordibus deditiſunt, nihil ſua ſponte perficiunt, cum eos pecuniæ ſtudium præcipites ac tranſuerſos agat. Adeo enim pecuniarum cupiditate ducũtur, ut nihil προθύμως, ideſt, *alacriter*, prompte & ex animi inſtituto, aut deſtinata uoluntate faciant, cum effręnata diuitiarum cupiditate rapiantur. Sed hæc uox πρόθυμον ad Rom. 1. ita intelligi ſolet, cũ προθυμία Act. 17. & 2. ad Cor. 8. & 9. deſtinatum voluntatis noſtrę inſtitutum ſignificet. Hinc Eſaias cap. 3. cum auaros ſacerdotes obiurgaret, illos exactoribus, & ſpicas legentibus contulit; qui ſæpe plebem demetunt, & ueluti ſpicilegio compilant: vt tamquam duri & importuni domini, ſpe pretij ad ea, quæ ipſis collibuerint, populum adigant: *Aduerſus quos Petrus* (vt ait Procopius Gazęus in eius loci commentarijs) *præcipit, ne gregem cædant, aut tamquam ſpecilegio detondeant more ueterum ſacerdotum, qui decimas mentæ & cymini inclementius exigebant, et eos qui in peccatũ labebantur, in iudiciũ vocabant; ut criminis conuicti, animaduerſionis metu, maiora quam pro facultatum modo bona offerent.*

10 Præterea addit Petrus: *neque dominãtes in clericis* μηδ᾽ ὡς κατακυριεύοντες, ideſt, ſupra dominantes. Nam κατὰ in compoſitione exceſſum & abundantiam denotat; vt apud Matthęum cap. 26. καταναθεματίζειν grauiter peierare, & apud Paulum ad Roma. 1. κατεργαζόμενοι non tantum actionẽ,

expri-

exprimit ſed proprie, ut ait Oecomenius, grauem illum conatum perpetrandi, & pertinaciter nitendi. Sic 1. ad Corinth. 7. κατέχειν non tantum poſſidere, ſed magnopere & arcte aliquid detinere, & vehementer ad illud affici ſignificat. καζχὼ enim ardens animi deſiderium & affectio eſt, eodem etiam loco καταχρώμενοι non tam uti, quam ſupra modum & immodice uti, vel abuti ſignificat. Eadem ratione Act. 19. cum homo in quo erat dæmonium alios opprimeret, κατακυριεύσας dominabatur, & ſeuere vexabat. Chriſtus etiam apud Matthæum cap. 20. eadem vſus voce, Apoſtolorum ambitionem Principum exemplo compreſſit his verbis: *Reges gentium dominantur eorum*. Solent namq. Principes gentium impenſius, & ſeuerius dominari, & ad ſummum imperium arrogantiam quoque & faſtū adiungere; ſæpe etiam iniquum & iniuſtum ita præſcribere, ut a ſubditis populis, pro iuſto, & æquo habendum & ferendum ſit. *Vos autem non ſic*, ſed mitius & benignius imperare, & infirmos ſuſtinere debetis. Vnde Samuel lib. 1. cap. 8. leges regni enumerans, ideo populum ab illa regis poſtulatione deterrebat atque dehortabatur: quod ſępe regnum in ſeuerum dominatum, ne dicam tyrānidem erūpat. Non ita quidem epiſcopi ſubditis dominari, ſed potius Gedeonem ducem imitari debent. Qui cum in Principem, Iudicum cap. 8. populi ſuffragijs inauguratus fuiſſet, faſtum atque dominationem repellebat his verbis: *Non dominabor veſtri, neq; dominabitur in uos filius meus, ſed Dominus Deus veſter dominabitur*.

Eadem plane ratione epiſcopi præfecturam in eccleſia 11
gerere debent, non eo ut tamquam Principes gentium dominentur, ſed potius ut diſpenſatores miniſteriorum Dei, omnes cogitatus atque conſilia in Dei ſententiam referāt; & forma gregis facti, nō acerbitate iudicij, qua uitia Principum, vt ait Nazianzenus in uita Athanaſij, teguntur, ſubditos puniant aut cædant; ſed magis quod bonum eſt a ſubditis populis impetrent, & ſui exemplo aſſequi contendant: *peccat enim in Deum quicumque epiſcopus, qui non quaſi*

con-

conſeruis ſuis miniſtrat, ſed quaſi Dominus: frequenter autem tamquã amarus Dominus(vt ait Origenes tract. 31. in Matt.) *dominans per vim ſimilis conſtitutus Aegyptijs, qui affligebant filiorum Iſrael vitam, ſumma cum vi.* Qui enim huiuſmodi sũt, numquam τύποι, ideſt, exemplaria toti gregi, regibus, ſcilicet magiſtratibus, parentibus, filijs, liberis, & ſeruis (vt ait S. Clemens lib. 2. conſtitutionum cap. 11.) ad imitandum proponentur, vt inde ſubditi populi omnia virtutum genera petant, atque in ſe ipſos per omnes partes epiſcoporũ humilitatem, patientiam, & ſimilia animi ornamenta transferant; cum difficile ſit ab eis qui virtutem impugnant, virtutis exempla traducere. Qua de re S. Paulus ad Titum 2. hortabatur epiſcopos, vt virtutis inſtitutionem ſuo exemplo alios docerent: *In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum, τύπον, in doctrina in integritate cum grauitate*; cum facilius homines exemplo doceantur (vt ait Hieronymus ad Lætã) quam voce: vnde Paulus 1. ad Tim. 4. *exemplum eſto,* ait, *τύπος, fidelium, in verbis, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate.* Quod plane exemplum Pauli 1. ad Theſſ. 1. & 2. ad Theſſ. 3. omnibus proponebat ad imitandum his verbis: *Ipſi ſcitis quomodo oportet imitari nos, quoniã non inquieti fuimus inter vos, neque gratis manducauimus panẽ ab aliquo, ſed in labore, & fatigatione, nocte & die operantes, ne quẽ veſtrùm grauaremus; Non quaſi non habuerimus poteſtatem; ſed vt noſmetipſos formam daremus, τύπον vobis, ad imitandum nos.* Quantum vero hęc exempla apud homines valeant, Gedeon Iudicum cap. 7. demonſtrauit; qui populum ita hortabatur: *Quod me videbitis facere, hoc facite.* ſic Paulus ad Philippen. 4. dicebat: *Quidquid accepiſtis, audiſtis, & vidiſtis in me, hoc facite.* & ad Hebręos 13. *Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui in vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum, conuerſationis imitamini fidem.* Quod plane non modo auctoritatem epiſcoporum eleuat, ſed illam ipſam quammaxime commendat. Etenim epiſcopus debet eſſe πολύλογος, ideſt, *plurimus,* vt cuique viuendi normã ſuo exemplo pręſcribat. Quod quidem de S. Chryſoſto-

mo, Georgius Cedrenus demonſtrauit his uerbis: *Chryſoſtomus ad epiſcopatum euectus maiori ſupercilio aduerſus ſubditos vtebatur, ad ſalutem & correctionem ſingulorum, geſtus, mores, & ſermones immutans. dicebat enim uarium debere eſſe paſtorem, varium quidem non tamen ſubdolum, neque adulatorem, neque inſultatorem, ſed plenum magnæ libertatis, & confidentiæ: vt ſe tam lenem quam auſterum præberc poſſit. Neque enim omnes ſubditi eodem modo tractandi ſunt, quandoquidem neque medici eodem vtuntur remedio; neque gubernatores nauis eadem velificatione maris æſtum, & tot fluctus tempeſtatum ſuſtinent. Quare oportet epiſcopum eſſe grauem, faſtus tamen expertem, terribilem & placidum, imperio vtentem, ſed omnibus ſe communicantem, corruptelas reſpuentem, demerendi gnarum; quippe erga bonos ſubmiſſum, erga feroces elatum ſe gerat opus eſt: cum illi æquitatem, & manſuetudinem pro virtute; hi ferociam pro fortitudine habeant. Ideo illis tractandis adhibenda eſt quædam animi demiſſio, his autem fortitudo, quæ feroces eorum ſpiritus reprimat; quæ & illis proſit, & animos deÿciat.*

Sed & diuinus Iſidorus Peluſiota Chryſoſtomi diſcipulus: *Principem*, inquit, *& benignum eſſe oportet, & terribilem; vt qui recte uiuunt, rebus ſuis fidant, & qui mali ſunt, delinquere metuant. Nam ſi horum alterum abſit, imperium non eſt, ſed confuſio. Si enim omnes obedientes eſſent ac virtuti dediti, ſoli locus eſſet benignitati: ſi omnes vitioſi, ſolo terrore opus eſſet. Quia autem neceſſe eſt ſubditorum alios eſſe bonos, alios malos; oportuit Principem vtraque re bene inſtructum eſſe, vt & benignitate ſua bonos ac modeſtos confirmet, & timore malos a peccando deterreat.* Nec ſolum eccleſiaſtici uiri his artibus uſi ſunt, ſed etiã illi, qui recte imperium gubernarunt. Octauianus Auguſtus cum optimam gubernandi rationem ſecutus eſſet, uarios colores aſſumens, & ſe ipſum in multiplices figuras transformans, deſcribitur a Iuliano in Cęſaribus. Hadrianus etiam huius mores imitatus, in omnibus ſemper multiplex erat, & ſpecie recuſantis, quę ſibi videbantur utilia, ardentiſſime cupiebat: de

quo Spartianus ait, *Seuerus erat, lætus, comis, grauis, tenax, liberalis, ſimulator, ſæuus, clemens, & ſemper in omnibus uarius.* Sed hęc extra noſtrum inſtitutum, reliqua proſequamur.

CAP. XI.

Epiſcopos non debere in munere epiſcopali, ſęcularibus principibus ſubijci, nec tributa, nec vectigalia rerum eccleſiaſticarum perſoluere, ex uarijs Sanctorum teſtimonijs comprobatur.

SVMMARIVM.

1 *Conſtantius Arianus epiſcopis pro libidine imperabat.*
2 *Conſtantius ex Paulo ad Rom. 13. ſuum ſcelus defendebat.*
3 *Conſtantij perfidiam Valens, Valentinianus Iunior Henricus IIII. & V. & Philippus rex Francorum imitati ſunt.*
4 *Caluinus noſtri temporis Lerna, idem multis rationibus perſuaſit.*
5 *Locus Pauli ad Rom. 13. de ſpirituali poteſtate exponitur, cũ maius ſit ſacerdotium regno.*
6 *Eccleſiæ præfectura quibus nominibus a patribus donetur.*
7 *Baſilius Euſebio præfecto Alexandrino nõn ceſſit.*
8 *Imperium eccleſiæ cum maius ſit temporali, merito a Petro & Iuda δόξα, ideſt, maieſtas appellatur.*
9 *Eccleſiaſtici homines, ut ait Origenes, non debent eſſe in rebus ſpiritualibus ſubditi poteſtatibus mundi.*
10 *Eccleſiaſtici uiri non debent tributum ex rebus eccleſiæ perſoluere, nec ſæculi magiſtratibus in rebus eccleſiæ ſubijci.*
11 *A bellis immunes eſſe ſacerdotes, et a tributis quæ bellorũ cauſſa imponuntur.*

12 *In his quæ fidei vel eccleſiæ libertati aduerſa ſunt, ſacerdotes Regibus parere non debent.*
13 *Baſilius quo pacto ſe clementem dicat, & omnibus ſubiectum.*
14 *Baſilius ſe longe maiorem, & ſuperiorem magiſtratibus appellauit.*
15 *Omnia tormenta pati ſatius eſt, quam eccleſiæ libertatem prodere.*
16 *Sacerdotes nihil poſſunt e templo Dei extrahere, ſed ſolum illud diligenter cuſtodire.*
17 *S. Babylæ exemplo eccleſiaſticorum magiſtratuũ auctoritatẽ indicari.*
18 *Principibus ſæculi cauendum ne ſe ipſos rebus eccleſiæ immiſceant, ne inde in varias pœnas incurrant.*
19 *Fiſcus bonorum Principum ſpolijs eccleſiæ augendus non eſt.*
20 *In eccleſiæ primordijs cur præceperint Apoſtoli, omnes regibus eſſe ſubiectos.*
21 *Epiſcopos tamquam patres regum, nõ debere in eccleſiaſticis rebus regibus ſubijci.*
22 *Caluini rationibus ſatisfit.*

SED cum locum Petri pro uiribus expoſuerimus, operæpretium erit, ut alia loca 1
expendamus, quæ eccleſiæ poteſtatem lędere, vel imminuere videntur: ut hinc inde ſublatis omnibus impedimentis, veritas fidei firmius conſiſtat. Conſtantius Imperator Arianus, qui mentem omni impietatis ſcelere, corpus uero flagitio fœdauerat; hac una in re ceteris omnibus hæreticis ſceleſtior ac nequior factus, quod epiſcopos ſibi ſubijcere, & pro libidine imperanti, parere compulerit: qui cum multos bene de fide & eccleſia meritos exilio proſcripſiſſet, cogebat reliquos, innocentẽ & inauditum Athanaſium damnare; ut inde ſublato firmiſſimo religionis præſidio, liberius Dei eccleſiam inuaderet.

2 Vrgebat illos ſcripturæ teſtimonijs, præſertim ex Paulo ad Romanos 13. & 1. epiſtola Petri, cap. 2. collectis, quibus ſacerdotes violatæ religionis crimine arguebat: quæ cum Lucifero epiſcopo Calaritano egregio Athanaſij propugnatore obieciſſet, ſe ipſum purgat epiſcopus uarijs ſcripturę teſtimonijs, eo pręſertim lib. quem de non parcendo in Deum delinquentibus conſcripſit. Sed querelam Conſtantij a Lucifero relatam audiamus: *Videns te, o Conſtanti veritate ſuperatum, dicere es ſolitus; ſacræ ſcripturæ præcipiunt regibus & omnibus degentibus in ſublimitate, debere te eſſe ſubiectum, & audes, o Lucifer talia ac tanta mihi ingerere?* paulo poſt, de omnibus catholicis epiſcopis conqueritur, quos ob nõn obędientiam ſui, *Legis tranſgreſſores* appellat. Fauebãt Cõſtantio hęretico omnes epiſcopi Ariani, vt idem Lucifer eſt auctor lib. qui inſcribitur, Moriendum eſſe pro Dei filio, *eumque epiſcopum epiſcoporum*, quod etiam audet Anglicana temeritas appellabant.

3 Eius perfidiam Valens Imperator imitatus, & Valentinianus Iunior Occidentis Imperator, omnia ſuæ poteſtati, ideſt, regię dignitati ſubiecta eſſe iactabat, vt S. Ambroſius lib, 5. epiſtola. 33. retulit. Prętetea Anaſtaſius, Imp. ut refert Symmachus Papa in Apologetico, & nõnulli Germanię Imperatores, pręcipue tamẽ Henricus IIII. (vt conſtat ex epiſtola ad Hildebrandum, ſic enim Gregorium VII. appellabat) & Henricus V. qui inueſtituras epiſcoporum extorſit (vt conſtat ex epiſtola Paſchalis Papę ad Guidonem Viẽnenſem, & ex Hermoldo lib. 1. cap. 70. & 71.) & Philippus rex Gallorum, anno Domini 1329. tantum ſibi arrogare auſi ſunt; vt epiſcopos, immo etiam ipſum met Romanum Pontificem ſibi fore ſubiectum impie defenderint. Contendebat Philippus ſacerdotales titulos antea a Pontificibus conceſſos, ſuo iure ſibi arrogare, & citra aſſenſum Romani Pontificis, (vt ait Corradus Vecenus in vita Henrici Septimi) epiſcopos ordinare, & a Rom. Pontificis obedientia deducere. Nitebantur hi homines maxime illis rationibus, quibus & Conſtantius

Aria-

Arianus ſuam perfidiam defendebat. Nempe Pauli & Petri teſtimonijs, quibus ſibi perſuaſerant, ſe omne negotiũ confeciſſe. eiſdem rationibus Petrus Cugneris miles Doctor, & regis conſiliarius, omnes epiſcopos eccleſiæ Gallicanę publica oratione, in regis conſpectu admonuit, ut regi parerent, & eccleſiaſticam iuriſdictionem regi ſubijcerent: Quod plane confeciſſet homo nimium callidus, niſi Petrus Bertrandus epiſcopus Eduen. & S. R. E. Cardinalis, pro temporis & loci opportunitate, ſatisfeciſſet homini, eiuſque temeritatem elegantiſſima oratione compreſſiſſet. Quod ex libello eiuſdem Bertrãdi Pariſijs edito 1513. ſatis liquido conſtat.

Sed neque hæc controuerſia diu ſopita eſt, cum noſtris 4 temporibus, iterum Caluini improbitate excitetur: cuius rationes ſunt hæ, quas Rhenatus Choppinus in pręfatione ſacrę politiæ proſequitur. Dauid Paralip. 16. diſtribuit omnes Leuítas in claſſes, Salomon 2. Reg. 18. ſancta cęremonia deuouit templum, ſacerdotem Abiathar ſubmouit, eius loco alium ſubſtituit; Ioas 4. Reg. 12. ſacerdotes in officio continuit, illiſque rationem ædificandi templum præſcripſit, Arcam in templum inferri iuſſit; Iudas Machabęus templum expurgauit; & ſi vetuſtiſſima quæramus, Ieſu Naue rationẽ deferendi arcam Domini, tempus, & modum ſacerdotibus indixit: Imperatores Cõſtantinopolitani edictis publicis eccleſię ordinem, & ſacerdotum numerum ſanxerunt, & ſancitum firmarunt: merito ergo epiſcopi regibus in eccleſię adminiſtratione ſubijci debent. hæc Caluinus impuris labijs, & ore inuerecundo dixit: parum hęc niſi in Concilijs generalibus indicendis, vel abrogandis, & in omni denique eccleſię adminiſtratione bonorũ ac redditũ, reges Anglię incredibili armaſſet audacia, ut primatum eccleſiæ ſibi, & poſteris temere arrogarent.

Sed cum illi maxime Pauli & Petri teſtimonijs nitãtur, 5 cogor eadem data opera, primo loco euoluere; ne in noſtra negligentia, aduerſarii maximum ſuę cauſſę pręſidium

conſti-

conſtituāt.ſic habet Paulus: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Nō eſt enim poteſtas niſi a Deo, quæ autem ſunt a Deo, ordinata ſunt. Itaq; qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Qui locus tāetſi de oībus tā ſecularibus, quā ſpiritualibus magiſtratibus intelligi poſſit; apertiſſime tamē de ſpirituali poteſtate interpretādus eſt, cū Primaſio, Sedulio & alijs patribus: qui ſenſus quā maxime eſt Paulo ad Hebręos 13. conſentaneus: *Obedite,* inquit, *Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis, ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus neſtris reddituri.* inuigilāt quidē, non ſolū pro infimę cōditionis hominibus, ſed etiam grauiſſimam pro regum & principum incolumitate curam gerunt, cum eccleſiæ Præſides ſummum magiſtratum, & longe aliis ſublimiorem perſonā ſuſtineāt. Quod Chryſoſtomus homil. 83. in Matth. demōſtrauit his verbis: *Si is qui diademate ornatur, indigne adeat, cohibe & coerce, maiorem tu illo habes poteſtatem.* & tom. 1. homil. 4. de uerbis Eſaiæ. *Alij ſunt termini regni, alij ſacerdotij, ſed hoc illo maius eſt, neque enim ex gemmis & auro æſtimari debet. Ille quæ ſunt in terris ſortitus eſt, ſacerdotij ius a ſupernis deſcendit. regi quæ hic ſunt commiſſa ſunt, mihi cæleſtia, regi corpora commiſſa ſunt, ſacerdoti animæ. Maior hic principatus; propterea rex caput ſubmittit manui ſacerdotis.* & homil. 5. *Expende modum poteſtatis utrique traditæ, & videbis ſacerdotē multo ſublimius rege ſedentem. admirandus videtur thronus regius, ſed rerum terrenarum adminiſtrationem ſortitus eſt, ſacerdotis thronus in cœlis collocatus, de cœleſtibus negotijs habet pronunciandi auctoritatem, cum ſacerdotium a ſupernis deſcendat, eiuſque vinculum animam contingat, atque ad cælos vſque peruadat.*

6 Qua de re Gregorius Nazianzenus ſolitus eſt, in oratione de laudibus Baſilii, hanc eccleſiæ præfecturam, ἐξουσίαν, ideſt, vt ait gloſſarium, maieſtatē, ditionem & poteſtatem, τὸ κράτος τῆς ἐκκλησίας, ideſt, imperium eccleſię, & δυναστείαν, ideſt, regium munus: tum etiam ἀρχὴν, ideſt, principatum nominare: cum eccleſię munus, ἀρχικὸν, ideſt, grauitatem & auctoritatem obtineat. Quod plane S.

Paulo conſentaneum eſt, cum ipſe ſolitus ſit eccleſiæ magiſtratus 1. Tim. 3. & 5. & ad Tit. 3. & 1. ad Theſſ. 5. προϊσταμένους, ideſt, pręſidentes, & ad Hebræ. cap. 13. & Act. 15. ἡγουμένοις, ideſt, duces præſides, principes, vt ait gloſſariũ, ſiue procuratores appellare, ut Pontius Pilatus ἡγεμὼν; ideſt, procurator Matth. 27. dicebatur, & Lucas 21. reges & ἡγεμόνας tamquam pares munere & dignitate cõiunxit, qui proprie adminiſtrationem rerum habebãt, ut ex Strabone lib. ultimo, & ex Dione lib. 53. & 57. intelligere poſſumus. Parem enim huiuſmodi procuratores uim & poteſtatem (vt ait Suetonius) ſub Claudio Imperatore habuerunt, ac ſi ipſemet Imperator iudicaſſet: quæ uox ſatis eccleſię auctoritatem & ſublimitatem muneris indicauit, cũ eccleſiaſtici pręſides tam poſſint in eccleſiæ cauſſis componendis decernere, ac ſi firmum ratumque ipſemet Chriſtus decreuiſſet.

Sēſit Baſilij vires Euſebius Valentis Imperatoris apud 7
Alexandriam pręfectus, qui ſuo imperio omnes Chriſtianos cędere, eoſque leges ſuas prodere coegerat; dummodo mulierem ampliſſimo loco natam, ex ſacra menſa in qua ſuę pudicitiæ aſylum conſtituerat, extraheret. Depoſcebat Iudex feminam, epiſcopus omni vi nitebatur, & obnixe eam ὁδ' εἴχετο τῆς χειρός, ideſt, iuxta ſui imperij formam, ut ait Nazianzenus, retinebat. erat enim Baſilius ἅπασι νομοθέτης, ideſt, omnium legum ſancitor, & lator: cũ epiſcopi qui in ſublimiori ordine & gradu, quam omnes alij magiſtratus exiſtunt, etiam ipſis legiſlatoribus, (ut ait Nazianzenus oratione de ſe ipſo quod cathedram affectaret, & oratione ad Iulianum) leges & iura præſcripſerint.
Quid tandem? cedit pręſes epiſcopo, cum tota Vrbe eſſet 8
ob eius cauſſam tumultuatim; ſupplex atque deiectus ab eo depoſcit auxilium, impetrat; epiſcopus turbam & populi furorem cõprimit: Alia de cauſſa nõ tamen abſimili Modeſtus præſes Alexandriæ S. Baſilio epiſcopo paruit, ut Cyrus Theodorus elegantiſſimis carminibus deſcripſit.

Επαρχος

Ἔπαρχος εἶ μὲν ἐστι τοῖς ἄλλοις ὅλοις,
Μόνῳ δ' ὕπαρχος τῷ σοφῷ βασιλείῳ.
Ἄχθη καὶ αὐτῷ, καὶ περ ἐξάρχειν θέλων.
Μυρμηκιᾷς δὲ, καί περ ὡς λέων βρύχων.

ideſt, *Præfectus es tu cæteris quidem omnibus,*
Modeſte, verum Baſilio Magno ſubes.
Præeſſe quamuis geſtias, ſubes tamen:
Formica ſane es, rugias licet vt Leo.

8 Id etiam aperte & palam Nazianzenus docuit, qui cũ ad ciues ſuos graui timore perculſos, orationẽ in præſidis conſpectu habuiſſet, eccleſiæ imperium quod δυναστείαν appellat, omni alio ſæculari principatu ſuperius, præſtantius, & perfectius oſtendit: cum eius βήματι, ideſt, tribunali, non ſolum terrena regna cedere, verum etiam faſces & iura ſubmittere debeant, ne *maieſtatem* tanti imperij eccleſiaſtici (vt ait Iudas Apoſtolus in epiſtola canonica) ſpreuiſſe videantur. *Maieſtatem* vero ſiue δόξας, ideſt, ſplendores, græca ſcholia, catenæ variæ, & Oecumenius, eccleſiæ magiſtratus intelligunt. Quod etiam Petrus de eiſdem verba faciens δόξας οὐ τρέμουσι, magiſtratus eccleſiæ, a perfidis ſæpe contemptui, & pro ludibrio haberi docuit. Cuius generis homines hoc noſtro ſęculo pene multi iam *præſcripti ſunt*, vt ait Iudas, *in hoc iudicium:* qui cum magiſtratus eccleſiæ vel abijciant, vel a ſua dignitate exturbent, Ieſum Chriſtum, qui ſolus eſt dominator & Dominus, immo & δόξα, & maieſtas Patris, a quo Apoſtoli ſplendorem acceperunt; negant, & abijciunt. *Qui vos*, inquit, *ſpernit, me ſpernit.* Quod plane ita, pro dolor, contigit hoc tempore, vt non ſolum eccleſię præſides irrideantur, ſed etiam aperte, & palam impugnentur.

9 Sed locum Pauli aliter exponamus: Origenes vetuſtiſſimus auctor in Pauli commentarijs ad Rom. 13. ſingulas voces ita exacte & luculenter expoſuit, vt nihil magis prudens, nec magis elegans excogitari potuerit. Quare ea quæ diffuſe ab ipſo explicata ſunt, qua potero breuitate complectar: *Omnis*, inquit, *anima poteſtatibus*, & quod excurrit

currit. *Anima nomine nō ſpiritualis*.i. eccleſiaſticus,& Deo ſacer,vt ego interpretor,*homo,ſed qui aliquid huius mūdi habet, & aliquibus eſt negotijs implicatus, intelligendus eſt. Huic præcepta Apoſtolus ponit,& dicit vt ſit ſubiectus poteſtatibus mūdi:quia Dominus dicit, vt hi qui habent in ſe ſuperſcriptionem Cæſaris,reddant Cæſari quæ ſunt Cæſaris.Petrus & Ioannes nihil habebant quod Cæſari redderent, dicit enim Petrus: Aurum & argentum non eſt mihi; qui hoc non habet, nec Cæſari habet quod reddat, nec vnde ſublimioribus ſubiaceat poteſtatibus. Qui vero habet aut pecunias, aut poſſeſſiones, aut aliquid in ſæculo: audiat quid præſcribat Apoſtolus: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* hæc ille. Ergo licet eccleſia fuerit decimas Dei benignitate, vel diuitias principum munere, vel fidelium largitione libere aſſecuta; ex illis tamē cum magiſtratibus ſæculi tributa perſoluere non debeat; neque ipſi ſacerdotes,qui eccleſię diuitijs aluntur,ob eam cauſſam ſ͏ęcularibus magiſtratibus ſubijciēdi erunt. quod in concilio Pariſienſi, vel potius Meldenſi cap. 8. ſtatutum eſt; ut habetur 23.quęſt.8. can. ſecundum. & can.ſancitum.& vt vetuſtiſſima adferamus a S. Cypriano lib. de opere & eleemoſynis comprobatū his verbis: *Patrimoniū Deo creditum nec reſpub. eripit,nec fiſcus inuądit, nec calumnia aliqua forenſis euertit, in tuto hæreditas ponitur quæ Deo cuſtode ſeruatur.* Quæ quidem veriſſima eſſe cenſentur, in illis pręſertim prędiis, quæ regum liberalitate donantur. tūc enim Dominio & iure manus mortuæ, vt aiunt,eximuntur; nec reges quidquam cauſſa fundorum poſſunt exigere; pręter quoddam fidei clientelaris obſequium, vt ait Rhenatus Choppinus lib.3. de ſacra pol.tit.1.nu.5.nēpe, vt ego interpretor, quod in regno, ſacerdotes ob beneficia in eccleſiam collata, illos eorūque prolem iure defendent,vt ex donatione Raymūdi Berengarii Comitis Barchinonenſis,& principis Aragonum,facta eccleſiæ B. Marię maioris Cæſarguſtanæ aperte conſtare poteſt. Vnde arbitror tot eccleſię Romanę donationes eo conſilio factas fuiſſe, vt non ſolum redemptionem animarum, ſed

12.q.1.expedit. 23.q.8.c.tributum. & ibi gloſ. ver. de exterioribus.

etiam defenſionẽ regię prolis haberent, vt ex Regeſto Nicolai Cardinalis ab Aragonia liquido conſtat. De priuatis vero donationibus, quę eccleſię fiunt, Driedo lib. 2. de Chriſt. libertate, & Molanus lib. de pijs teſtamen. cap. 35. diſſeruerunt, utrum iure nec ne, manus mortuę obligatione tenerentur.

Habent enim viri eccleſiaſtici non ſolum animos ſolutos ac liberos, & corpora Deo dicata ſacraque, ſed etiam eccleſiæ redditus ab omni tributo & fœnore uacuos, cum vineam Chriſti colant; de qua ſoli Deo vineæ domino tributa perſoluũtur. Tributa terræ noſtrę & agrorum noſtrorum quos proprio iure poſſidemus, vectigalia etiam mercaturæ, atque negotiationis noſtræ regi ſoluenda ſunt; ſed quæ eccleſia poſſidet, ſoli Deo reddenda. Vnde Origenes, ut totam hanc rem breuiter concluderet, ita ait: *Principibus tributa quædam pendimus, dum adhuc ſecundum carnem viuimus, & quæ carnis ſunt cogitamus. Nam ſi vineam Domini colamus, aut vitem veram, quæ Chriſtus eſt, exerceamus in nobis; de iſta vinea non miniſtris ſæculi pendemus tributa, ſed ipſi Domino fructus in tempore reddemus.* Hæc ibi: Is uero vineam Domini colit, qui prædicationi inſtat, qui gubernationi eccleſiæ inuigilat, qui pro populo deprecatur, & eius cauſſa grauiſſimos labores perfert. Quibus merito tamquam militibus egregie pro totius populi pręſidio certantibus, & merces & alimenta redduntur. A quibus reges tributa non exigũt, neq; a peculio caſtrenſi uectigalia colligunt, neq; ſalarijs ac ſtipendijs militaribus tributa imponunt, cum congiaria, ſtipẽdia, & ſalaria, ſint laborũ præmia, quibus anima & corpus in militia æſtimari ſolet. Quare cum ſacerdotes nullo iure eccleſiaſticarum facultatum obnoxii ſint ſęcularibus principibus, *& nihil eorum quæ Cæſaris ſunt poſſideant* (vt ait S. Gregorius Nazianzenus oratione ad Iulianum tributorum exactorem) merito omnia bona, quę illi eccleſiaſtico iure poſſident ab omni tributo libera eſſe debebunt. Hęc omnia ex Origene aperte colliguntur.

Idem ſane aſſeuerare videtur Cardinalis Caietanus 22. q. 104. art. 6. ad 1. *epiſcopi & præsbyteri in hoc mundo tamquã filij regis, liberi a ſeruitute temporalium dominorum eſſe debent, & hoc ſaluatoris doctrinæ conſonum eſt, dum Petrum liberum inſinuat, ſed ne ſcandalizemus eos, ſolue pro me & te.*

Quam etiam ſententiam comprobare viſus eſt S. Hilarius in Matth. cap. 22. his verbis: *Si enim nihil Cæſaris penes nos reſederit, conditione reddendi ea quæ ſua ſunt non tenebimur. Porro autem ſi rebus illis incumbamus; ſi iure poteſtatis eius utamur, & nos tamquam mercenarios alicui patrimonij procurationi ſubijcimus, extra querelam iniuriæ eſt, Cæſari reddi quæ Cæſaris ſunt, Deo quæ Dei ſunt nos oportere, ſcilicet animam corpus voluntatem.* Beatus Ambroſius lib. 5. epiſtolarũ: *Eccleſia* inquit, *Dei eſt, Cæſari vtiq. non debet addici, quia ius Cæſaris eſſe nõ poteſt Dei templum. Quod cum honorificentia Imperatoris nemo dictũ poteſt negare. Quid enim honorificentius, quã imperator eccleſiæ filius eſſe dicatur? Quod cum dicitur, ſine peccato dicitur, cum gratia dicitur. Imperator enim bonus intra eccleſiam, non ſupra eccleſiam eſt.* Et paulo poſt, *noli te grauare Imperator ut putes te in ea quæ diuina ſunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, ſed ſi uis diutius imperare, eſto Deo ſubditus. Scriptum eſt, quæ Dei Deo quæ Cæſaris Cæſari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad ſacerdotem eccleſiæ. Publicorũ mœnium ius tibi commiſſum eſt non ſacrorum.* Quis igitur affirmabit eccleſiaſticos uiros, quibus ex iure diuino decimę, ſportulæ, & alimenta debentur, ut & vitam tueri & Deo vacare poſſint, ea de cauſſa Regibus eſſe ſubiectos? Sunt enim decimę iure diuino conceſſę ſacerdotibus, qui loco Dei præſunt (vt Gen. 14. 28. 47. Exo. 22. Leuit. 27. ad Heb. 7. & alijs ſexcentis in locis aperte conſtat) quæ etiã illis iure gentium debentur, ut omnium hominum conſuetudine comprobatum. Quod Plutarchus problemate 17. Macrobius lib. 3. Satur. cap. 12. Plinius lib. 12. hiſt. naturalis cap. 14. & 19. docuerunt. Vnde in naſcentis eccleſię primordijs, Apoſtoli erant quaſi ſacri ęrarij diſpẽſatores: mox tamẽ creſcente numero Chriſtianorũ Diaconi conſtitu-

ſtituti,qui nummos carũ rerũ quę vendebantur,in cõmune diſtribuerent,& menſis miniſtrarent. Sed Tertulliani tempore ſinguli Chriſtiani viritim pecunias,publicis con greſſibus conferebant in arcam;ex quibus inopes refrigerio iuuabantur,& ſubminiſtrabantur patientiſſime neceſſaria, ut Tertullianus in Apologetico cap. 39. docet his verbis: *modicam quiſque ſtipem menſtrua die, uel cum uelit, ſi modo poſſit,apponit.Hæc quaſi depoſita pietatis ſunt, quæ egenis alendis, humandisque & pupillis re ac parentibus deſtitutis, ætateque domitis ſenibus, naufragis, & qui in metallis diſpẽſantur.* S. Cyprianus lib. 1. epiſt.7. miniſtris eccleſię ſtipes,oblationes,lucra, & cœnas datas eſſe memorat:de huiuſmodi uero rebus & alimentis in commune collatis,nutriri ſolitos martyres docet Tertullianus lib. ad martyres. Sportulas etiam presbyteris tributas fuiſſe,narrat Cyprianus epiſt. 34. ad presbyteros Furni conſiſtentibus,& Tertullianus lib. 3. contra Marcionem: ſed tempore Vrbani Anno 219.cautum erat ne prędia eccleſię venderentur, vt ex illorum fructibus eccleſiaſtici in commune vitam degerent, neceſſariaque ab epiſcopis acciperent 12. q. 1. c. videntes.Imperatores quoque non modo prędia eccleſijs contulerunt, ſed etiam ſupellectili aurea uel argentea illas donarunt,& eleemoſinas in varias terrarũ partes tranſmiſerunt; ut ait Optatus lib. 3. Lybicis quoque eccleſijs frumentum ab Imperatoribus donatũm teſtatur Iſchirion in epiſt.ad Leonem,quæ in actis concilij Chalcedonenſis habetur.Præterea eudoxia millia nummum quotãnis attribuit in victum ſacerdotum,ut eſt auctor Sozomenus lib.8. cap. 1. Niceph.lib. 14. cap. 5. Tandem priuati homines,opes & diuitias multas eccleſijs tribuerunt, ut ait Socrates lib.7. cap. 21. Chryſoſt.in Matth.homil.86.

11 Incolumitatẽ vero ſiue immunitatem harũ rerum habuiſſe Sacerdotes ſatis aperte ex Ariſt. 2. lib. Oecono. deducitur: pręſertim cum illi fuerint a bellis immunes,ac liberi,eisq. probo eſſet,pias manus sãguine,ui & armis effuſo temerare.Quadere ab omni mulcta & exactione libe

ri-eſſe

ri eſſe debuerunt, cum bellorũ cauſſa tributa, & vectigalia ſubditis fuerint impoſita. Quod S. Gregorius Nazianzenus in oratione ad Iulianum tributorum exactorem demonſtrauit: *Hoc mihi peccati præmium, hinc penuria nata eſt, pernitioſæ cupiditatis mater, quæ bella peperit, a quibus orta ſunt tributa, quibus in diuina condemnatione nihil grauius eſt & acerbius.* Et paulo poſt ad finem. *Sacerdotum cœtus, qui nullo vinculo humi tenentur, qui ſola corpora, ac ne ea quidem tota poſſident, qui Cæſaris nihil, Deo omnia habent; hymnos, preces, vigilias, lachrymas, hoc eſt, eiuſmodi opes, quæ manibus premi nequeunt, qui mundo mortui ſunt, Chriſto viuunt; carnem confecerunt, animam a corpore abſtraxerunt: hos ſi mitius tractaris, aut etiam omnino Dei ſeruos & diſcipulos, & cœleſtium rerũ inſpectores; has inquam, generis noſtri primitias, hæc columina, has fidei coronas, has pretioſas margaritas, hos templi illius lapides, cuius fundamentum, & lapis angularis Chriſtus: hos inquam ſi plane Deo reddideris, præclariſſime & ipſis, & tibi, & nobis conſulueris. Ac tibi has potius a nobis diuitias optauerim, quam magnos auri atque argenti theſauros nunc exiſtentes, ac breui tempore dilapſuros.* hęc Gregorius.

Vnde Cõſtãtinus Imperator res eccleſiæ catholicæ uoluit a tributis liberas eſſe, ut lib. 11. cod. Theod. tit. 1. l. 1. legimus. & Theodoſius l. 33. ſordidorum, & extraordinariorum munerum (vt ait Iuſtinianus nouella 131. & 16. q. 1. ca. generaliter. & extra de immnitate eccle. ca. non minus) ſacerdotibus immunitatem contulit. Quod Ioannes Lupus lib. 1. de libertate eccleſiaſtica, part. 1. q. 2. & 4. & part. 2. q. 8. demonſtrauit. Hæc tamen intelligenda ſunt quando non exigit neceſſitas, quę ſi urgeret maxime, ideſt, ſi publica libertatis dignitatiſque iactura fieret, etiam tunc prius a laicis exactis tributis, moderate & cum charitate, e clericorum redditibus eſſent tributa poſtulanda; vt in eodem cap. generaliter, cum ijs quę notat ibi glo. & cap. cum Apoſtolus. extra de cenſibus demonſtratur. Dummodo tamen reges id propria auctoritate non faciant; ſed Pontificis Maximi nomine

mine, atque eius aſſenſu. cap. cauſſa de verb. ſignif. & in eccleſię defenſionem, eiusque utilitatem & commodum transferant. Quę ſi aliter fierent quam eccleſię regula prę-ſcribit, omnes Prælati ad propriam libertatem eccleſiæ defendendam excitari deberent, B. Thomę Cantuarienſis exemplo; qui & regio tributorum exactori reſtitit (vt in vita & proceſſu eiuſdem M. S. habetur) & pro eccleſię libertate glorioſe triumphauit. Cũ ęgre pateretur non ſolum eccleſiã annuo vectigali a rege Britanno impoſito ſeruam ac tributariã fieri, ſed etiam inuitis epiſcopis, ſacra miniſteria regia auctoritate peruadi. De qua re proditum eſt Alexandri III. queribundo reſcripto, cap. ex frequẽtibus. de inſtitut. & ab eodem Pontifice ſancti viri occiſoribus graues pœnę impoſitę sũt, c. ſicut dignũ. §. clericos, de homicidio. ſed de his ſequẽti lib. copioſe diſſeremus.

12 Quod ſi fateamur eccleſiaſticos uiros, & præſertim epiſcopos ratione originis, ideſt, qua homines ſunt & orti in aliqua prouincia principi temporali ſubiecta, ideo ſęcularibus principibus parere debuiſſe; in qua plane re exquiſitiſſimum ſapientum iudicium requiro, cum maiora libertatis & patrię poteſtatis vincula publica dignitate dirimãtur (vt ait Iuſtinianus nouel. 81. addita nouel. conſtitutione Conſtantini, & Heraclii, & Alexii Comneni, in qua cautum eſt militares magiſtratus nullam aduerſus ſacros viros poteſtatem habere, & Theo. Balſamon in Nomo canone tit. 1. cap. 36. & tit. 9. cap. 1. affirmauit) Si tamen quidquam principes pręſcriberent, quod fidei, quod bonis moribus, quod ueteri inſtituto, quod cõſuetudini & eccleſię libertati aduerſetur, illis profecto parendum non erit. *Admone*, ait Paulus ad Titũ. 3. *principibus et poteſtatibus ſubiectos eſſe, dicto obedire* πειθαρχεῖν, ideſt, obedire imperio Act. 11. *ad omne opus bonum paratos eſſe, neminem blaſphemare, non litigioſos eſſe, ſed modeſtos, omnem oſtendentes manſuetudinem ad omnes homines*. In operibus bonis non in malis debemus principibus eſſe ſubiecti & ἑτοίμοι, ideſt, alacres ad opera bona exercenda, ad quæ noſtra ſponte

& alacritate ferri melius eſt, quam alieno imperio cogi. Ergo ſi quis Princeps deſerere fidē (vt ait Lucifer loco citato) iuſtum interimere, innocentem condemnare, inauditum punire & necare, leges eccleſiaſticas prodere, conſuetudini aduerſari coegiſſet; magis ſacræ legis transgreſſor fieret, qui regi talia præſcribenti obediret, quam qui ſe illi cum maximo uitę diſcrimine opponeret. Clerici Cōſtantinopolitani pro ſacra Synodo Epheſina, ſupplici libello ſic obteſtati ſunt Imperatores: *Profeſsionis noſtræ ſcopus, piiſſimi reges, inter alias leges omnibus quoque Principibus & poteſtatibus obediendum eſſe cauet: dummodo tamen eiuſdem obedientia, animæ ſaluti detrimentum non afferat. Quod ſi illa inter vtilitatis limites non uerſentur, tunc etiam aduerſus regium faſtigium cum libertate audendum eſſe, diuinarum legum interpretes monent. Immo uero ſi regia maieſtas recta quoque fide ornata fuerit, non pudoris ſed virtutis eximiæque laudis loco ducendum erit, iniuſtis illius decretis obluctari. Loquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu regum (ait Propheta) & non confundebar.* Sic Iuo Carnutenſis epiſtola 15. ad Philippum regē Galliarum, cum audacter regis imperio reſtitiſſet, intulit: *Nec iſta contra fidelitatem veſtram, ſed pro ſumma fidelitate dicere arbitror, cum hoc & animæ veſtræ magnum credam fore detrimentum, & coronæ regni veſtri ſummum periculum.* Idem prorſus Origenes in cap. 13. epiſt. ad Rom. confirmauit: *Non de illis poteſtatibus loquitur Paulus, quæ perſecutiones inferunt fidei; tunc enim dicendum eſt, obedire oportet magis Deo quam hominibus; ſed de illis dicit Paulus, quæ non ſunt timori boni operis ſed mali.* Hanc verò omnium Catholicorum mentem fuiſſe, docet Prudentius in vita Romani Antiocheni his carminibus.

Hoc opto lumen Imperator nouerit
Tuus meusque, ſi velit fieri meus.
Nam ſi reſiſtit Chriſtiano nomini,
Meus ille talis Imperator non erit,
Scelus iubenti crede nunquam ſeruiam.

Sym-

Symmachus Papa eadẽ cauſſa impulſus Anaſtaſiũ Im-
peratorem in eccleſiam Rom. ſe efferentem,ita eſt allocu- *11. q. 3. ca.*
tus: *Fortaſſe dicturus es ſcriptum eſſe omni poteſtati nos ſubditos* *qui reſiſtit.*
eſſe debere : Nos quidem poteſtates humanas ſuo loco ſuſcipimus,
donec contra Deum ſuas non erigant voluntates : Ceterum ſi om
nis poteſtas a Deo eſt,magis ergo quæ rebus eſt præſtituta diuinis.
Defer Deo in nobis;& ſenatus & collegium clericorum Romæ, &
nos deferemus Deo in te. Ceterum ſi in Deo non deferas, non
13 *potes eius vti priuilegio,cuius iura cõtemnis.* hęc Symmachus.
Idem affirmat Baſilius, vt S. Gregorius Nazianzenus
in eius encomio commemorat: qui cum maieſtatis reus
factus fuiſſet, quod Valentis Imperatoris reſcripta con-
temneret;ita ſe apud pręfectum pugnauit: *Ceteris,* inquit,
in rebus, o Præfecte, clementes & placidiſſimus, atque omnium
abiectiſſimi, quemadmodum nobis lege præſcriptum eſt. Ac non
dicam aduerſus tantam potentiam,ſed ne aduerſus plebeium infi
mæ conditionis hominem ſupercilium attollimus : verum vbi
Deus periclitatur in nobis, & proponitur,tum demũ omnia alia
14 *pro nihilo putantes, ipſum ſolum intuemur.*
Quo in loco epiſcopus tantum abeſt, quod ſe Pręſidi
ſubiectum eſſe fateatur, vt etiam illi ſe longe ſuperiorem
oſtendat : *Socios*, inquit, *vos habere honorificum fuit, ſed vt*
alios quoſdam ex his, qui mihi ſubiecti ſunt, τῶν ὑφ' ἡμῶν τεταγ-
μένων, ideſt, *in eorum te numerum pono, quibus ego imperare*
& præſcribere ſolitus ſum. Qua voce paulo ante vſus erat
Gregorius,cum Baſilii auctoritatem extolleret; quæ tan-
ta erat, vt omnes in vna Baſilii poteſtate pręſidium atque
ſalutem collocarent. Id enim loco præſidii erat, ſub ipſo,
15 τετάχθαι, ideſt, cenſeri,vel ipſi ſubiici.
Vnde cum eccleſię libertas impugnatur, in qua oppu-
gnanda maxime impugnatur Deus; vel eius nos prodito-
res aut deſertores fieri cogimur, erit ne regio parendum
Imperio? Aculeos, flagella,laqueos, vngularum excarnifi
cationem, membrorum luxationem & extenſionem, ca-
taſtas, incendia, cruces, & tamdem omne tormenti ac
mortis genus perpeti ſatius erit, quam eccleſię auctori-

S tati

tati, vel libertati detrahere.

Maluit Naboth in iram regis incurrere. 3. Regum cap. 16
21. quam paternam hæreditatem regi concedere. Eadē animi libertate, eccleſiaſtici viri ſe ipſos tamquam muri opponere regibus, & pro eccleſiæ præſidio iugula atque ceruices ſponte præbere debent; antequam in eccleſiam aliquam iniuriā inferri patiantur: Quod Lucifer Calaritanus lib. de nō parcendo in Deum delinquentibus affirmauit his verbis: *Ecce poſui te hodierna die* (ait Hieremias) *ſicut ciuitatem muratam, & murum æreum omnibus regibus Iuda, & principibus eius, & plebi terræ. Quæ ſunt quæ dicebat Hieremias regibus Iuda, nempe hæc, quia dereliquerunt Dominum, & immolauerunt dijs alienis. Hæc tu facis, o Cōſtanti, dereliquiſti apoſtolicam & Euangelicam fidem, & ſuſcepiſti hæreſim Arianam, & exiſtimas te timeri poſſe a quoquam ſeruorum Dei?* Idem ſenſit intrepidi animi Ambroſius, qui oratione cōtra Auxentium de Baſilicis non tradendis, ita locutus eſt: *Conuenior ipſe a comitibus & tribunis, vt baſilicæ fieret matura traditio, dicentibus Imperatorem iure ſuo vti, eo quod in poteſtate eius eſſent omnia; reſpondi ſi a me peteret quod meum eſſet, id eſt, fundum meum, argentum meum, ius huiuſmodi meum, me non refragaturum; quamquam omnia quæ mea ſunt eſſent pauperum. Verum ea quæ diuina, imperatoriæ poteſtati non eſſe ſubiecta. ſi patrimonium petitur, inuadite: ſi corpus, occurram. Vultis in vincula rapere, vultis in mortem, voluptati eſt mihi. Non ego me vallabo circumfuſione populorum, nec altaria tenebo vitam obſecrans, ſed pro altaribus gratius immolabor.* & paulo poſt: *Naboth vites ſuas vel proprio cruore defendit. ſi ille vineam non tradidit ſuam, nos trademus eccleſiam Chriſti? Si ille patrum hæreditatem non tradidit, ego tradam Chriſti hæreditatem?* Et habetur 23. q. 8. ca. conuenior. Vnde e templo Dei nihil poſſunt ſacerdotes deſumere, vt alijs prę̧ter regulam, (ut ait S. Hieronymus in Ezechi. cap. 46. & in Michę̧am cap. 4. & in Eſai. cap. 3.) tradant, cum illud cuſtodiendum non tradendum acceperint.

Hinc S. Babylas martyr, Antiochenus epiſcopus, & 17
inſi-

inſignis eccleſię propugnator, Numerianum Imperatorem ſatellitibus ſeptum, & temere in eccleſiam irruentem, non modo ſubmouit; ſed etiam dexteram in ſceleſtiſſimum ipſius pectus impegit, vt eum a tam graui flagitio deterreret. De qua re Chryſoſtomus tomo. 3. ita ait: *Licebat Babylæ ſi voluiſſet vlterius progredi, & Imperatorem conuicijs aſpergere, & diadema capite detrahere, & pugnis os tundere; Nam & dextram in pectus iam impegerat.* Et paulo poſt. *Sed illum omnes admirati ſunt, inde edocti, quantam ſeruis ſuis libertatem Chriſtus impertierit. Nam qui apud gentes templorum adminiſtrationem ſuſcepere, ij reges ſuos colunt plus quam dominos, plus quam idola; ſed non ita Chriſtiani.* Et paulo poſt: *Ex quibus planum fecit Babylas, terræ & eorum quæ in terra fiunt curam & præfecturam verius reſidere penes ſacerdotem, quam penes eum, qui paludamento ornatus eſt & purpura indutus.* Et ad finem: *Docuit reges non poſſe vltra modum, ipſis a Deo datam poteſtatem promouere: Sacerdotibus planum fecit, qualiter regum principatui præeſſe oporteat.* hęc Chryſoſtomus.

Quare ſemper quę a Deo ſacerdotibus collata, vel quę a maioribus tradita ſunt, inſigni fortitudine, animique conſtantia tueri debemus, ne quidquam ab his quæ Eccleſiaſtici iuris ſunt, detrahi patiamur. Sic Liberius epiſcopus Romanus epiſtola ad Conſtantium Imperatorem Arianum ſecutum: *ſe* ait, *ordinem moremque maiorum, nihil addidiſſe epiſcopatui Vrbis Romæ, nihilq. minui paſſum vmquam fuiſſe; ſed perpetuo illam fidem ſeruaſſe, quæ per tantorum epiſcoporum ſucceſſionem decurrebat.*

18 Quamobrē diligentiſſime obſeruare debent principes ſęculi, ne cū ſuas partes tueri uelint, ſe ipſos in eccleſiæ iuriſdictionē immittant. Quod Oſius epiſcopus Cordubenſis epiſt. ad Conſtantium Imper. (quam refert S. Athanaſius epiſt. ad vitam ſolitariam agentes) admonuit. *Obſecro, ne te miſceas eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe, ſed potius ea a nobis diſce. Tibi Deus Imperium*

commiſit, nobis quæ ſunt eccleſiæ credidit; & quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ: ita & tu caue, ne quæ ſunt eccleſiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias: Date, ſcriptum eſt, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo. Eadem animi confidentia Leontius Tripolis Lydiæ epiſcopus, vt refert Suidas, cum ceteros epiſcopos Conſtantio applaudentes, illumq. inter ſacerdotes ſedentem vidiſſet, libere omnes a tanta temeritate deterruit, & eccleſiarum iudicia ad ſolos ſacerdotes pertinere demonſtrauit: *Miror,* inquit, *quì fiat, vt cum alijs curandis diſtinearis, alia tractes. cum enim rei militari & ciuilibus negotijs præſis, tamen epiſcopis ea præſcribis, quæ ad ſolos pertinent epiſcopos.* Sic Oeniander epiſcopus (vt teſtis eſt Cedrenus) eadem cauſſa impulſus, Anaſtaſium Imperatorem obiurgauit, quem veſte prehenſum: *Hæc,* inquit, *clamis nequaquam te poſt mortem comitabitur; miſſam fac eccleſiam, ſatis tibi ſit quod Imperator es, Antiſtites eccleſiæ noli vexare.* hęc tamen verba nihil mouerunt hominem, immo potius cum maxime in eccleſiam debacchatus fuiſſet, fulmine percuſſus interijt; cum paulo ante quam obiret mortem, in ſomnijs oblata eſſet imago inſignis viri, qui e libro, quē manibus tenebat, decem & quatuor annos vitæ illius expungeret. Hinc B. Martinus (vt ait presbyter Fortunatus & Sulpicius) uix adduci potuit, vt Maximo tyranno concederet, quod aliorum ſacerdotum & epiſcoporum adulatione, de Priſcilliani cauſſa conceſſum erat; cum turpe arbitraretur, ab Imperatore eccleſiæ cauſſas, eiuſque negotia terminari. Quod plane prohibitum eſt *96.* diſt. ca. ſi Imperator. Vnde Carolus princeps Pipini regis pater cū eccleſię bona ſubſtuliſſet ac deuaſtaſſet, æterna pœna grauiſſimisque cruciatibus affectus eſt: cuius quidem rei, ut apertum extaret argumentum, illius ſepulchrum ſemiuſtum repertum eſt (vt in vita B. Eucherij Arelatenſis legimus) & ex eo Draco prodijſſe viſus eſt: cuius prodigioſo aſpectu perterriti S. Bonifacius & Fuldradus abbas Pipinum adorti, ſynodo apud Liptinas habita, ea om-

nia

nia,quę Pipinus abſtulerat ab eccleſia, reſtitui curarunt. Poſt quem Carolus Magnus Imp. publica lege ſanciuit, ne quiſquam res eccleſiæ diuidere aut diſtrahere auderet, vt habetur in notationibus ad 16. q. 1. ca. quia iuxta.in exemplaribus nunc Romæ editis. Vereor tamē ne hoc ſa ctum ſub Carolo Ludouici filio acciderit: qui, vt ait Iuo Carnotenſis in Chronico:*Cum res eccleſiarum ſuis militibus in ſtipendium contuliſſet,poſtea mortuus,& in eccleſia B. Dionyſii ſepultus a ſiniſtra parte altaris maioris, viſus eſt noctu in ſpecie draconis,effracto ſepulchro, per vitreā eccleſiæ magno terrore exiſſe*.Pręterea Pipinus rex Francorū,(vt referūt Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis in vita B. Remigij,& Petrus Bertrandus epiſcopus Cardinalis) cum Villā epiſcopij Laudunenſis quæ Aniſiacus dicitur, facta recompē ſatione eccleſię,ſub cuius dominio erat, diſtrahere, & accipere quaſi ſub cenſu voluiſſet:noctu vehementiſſime territus eſt,a B. Remigio, qui regi in ſomnis occurrens, eum paſtorali baculo dure percutiens,ac cedēs increpauit his verbis: *Tu quid hic facis? quare intraſti in hanc villam,quam mihi te deuotior homo dedit; melior te mihi hoc caſtrum dedit, & tu vis auferre?* Sequenti die rex totum corpus uerberibus liuidum,& vibicibus contuſum omnibus ſpectandum præbuit:& ſtatim ualida correptus febri, quātocyus ab ipſa villa receſſit. quod plane poſtea fuit in cauſſa,cur reges Francię numquam in eo caſtro noctu cubare auſi fuerint, veriti,ne ſimilia eis acciderent.Idem prorſus Otho Friſingenſis lib. 6. cap. 2. refert de Noementicio rege Britonū; qui dum multis modis eccleſiam Dei perſequeretur, vidit in viſione B. Maurelionem Andegauenſem epiſcopum ſibi occurrentem, ac baculo paſtorali ſe percutientem, ac increpantem, ut ab eccleſiarum oppreſſione ceſſaret; nec fruſtratus eſt viſu: *Nam continuo ictu baculi corruens, ac a ſuis domum deportatus, manifeſtis Dei iudicijs uitam ſimul cum tyrannide reliquit*. Pręterea milites Theodorici Gallorum regis, ut narrat Robertus Guaguinus lib. 1. cum de S. Iuliani templo bona

ſurri-

ſurriperent,inſania correpti fuerunt;& Siginaldus Treuirorum dux, cum villam Bulgradēſem, quam Tetradius S. Iuliano donauerat occupaſſet; non prius ſui animi compos factus eſt,quam uillā reſtitueret. Clothariū etiā ob ter tiam partem prouentuum eccleſiaſticorum, quos auferre cogitarat, Turonēſis antiſtes increpauit his uerbis: *Si quæ Deo dicata ſunt auferes, & de pauperum horreis tua pergis exple re, regnum a te auferet Deus.* Vnde Nicephorus Imperator, qui iuſſerat ducibus belli, ut in domos ſacras, & ædes epiſcoporum diuerterent, eorumque rebus pro arbitrio vterentur, (erat enim Manichęus,ut lib. 1. iuris orientalis conſtitutione 3. conſtat) miſere pro tanto ſcelere patrato obtrūcatus eſt. Qui etiam hic cœpit pœnarum ęter narum certum argumentum exhibere; nam poſt mortem decaluato capite, ludibrio habitus eſt a Chruno rege Bulgarorum,ut Zonaras lib. 3. retulit. Pręterea Gothorum gentis interitus tūc fieri cępit,ut ait Paulus Diaconus lib. 5. de geſtis Longobardorū cap.4. quando eccleſia S. Ioannis deſpectui eſt habita, quando eius facultates expilatæ, quando ſacerdotum redditus ſubſtracti & imminuti fuerunt. Ad hæc Rutharius dux Childiberti,vt ait S. Gregorius Turonenſis lib. 8. cap. 12. cum res eccleſię partim cepiſſet,partim etiam ſibi vindicaſſet, filium febri ardentiſſima correptum,& ſeuero morbo afflictum amiſit. Ferquhardum Scotiæ regem, ut ait Ioannes Leslęus lib.4. de rebus geſtis Scotorū, ſacerdotum qui pecunijs affluebant hoſtem acerrimum, lupus diuinæ ultionis vindex dēte pe tiuit, ac interemit; vt idē iam morti proximus teſtatus eſt. Sic Arnulphus Imp. uoluptatibus immerſus cum eccleſię bona ſibi uindicaſſet,ut in annalibus Colonienſibus legimus, pthiriaſi,ut ſacrilegus mortuus eſt.

Sancius etiam primus Aragonum rex, quamuis auctoritate Alexandri II. & Gregorij VII. eccleſiæ redditus in publica bella conſumpſiſſet; illis pręſertim temporibus ubi pro aris & focis contra Mauros pugnabatur, ueritus fortaſſe ne Chriſtus eccleſiæ caput, regia licentia

offen-

offenderetur anno 1081. ante altare Diui Vincentij in oppido Rodę, publicam pęnitentiam egit, quod decimas & eccleſiæ redditus in profanos vſus transtuliſſet; vt auctor eſt Hieronymus Zurita lib.1. Annalium cap.23. Pręterea Alphonſus Hiſpanię Imper. anno 1130. cum nimis auide bonis eccleſię inhiaſſet, eiusque theſauros in res profanas conſumpſiſſet, diuina correptus vindicta, in bello iuxta Fragam ſuſcepto, vel fugatus fuit (vt ait Zurita lib.1. cap.49.) vel poſt multos annos incognitus, ſuſpendio publico, vt eſt rerum omnium perturbatio, Cęſaraugustæ interemptus (vt refert idem Zurita lib. 2. Annalium cap. 22.) ſed vetera omittenda non ſunt, quæ a Tertulliano lib. ad Scapulam a S. Hieronymo in Epitaphio Nepotiani, & a S. Chryſoſt. de Maximino, & eius patruo recēſentur. Illi enim ob ſcelera in eccleſiā perpetrata, adhuc viuēti oculorū pupillę ſpōte ex oculis exilierūt; hunc ob ſubrepta vaſa tēpli, morb. inuaſit, qui verēda ita vermiculis infecit, vt nulla arte e loco infecto euocari potuerint.

19 Quamobrem turpe immo & ſacrilegum eſt id quod noſtro tempore Eliſabetha Angliæ, & alij hęretici principes temere ſibi arrogant, cum agros eccleſiæ a majoribus legatos & ſacerdotum redditus, fiſco retentant: *Cum fiſcus bonorum principum* (vt ait Symmachus in relatione ad Imperatores) *non ſacerdotum damnis, ſed hoſtium ſpolijs augeri debeat*. Quid enim calamitoſius, quid truculentius, quam illis ſubſidia denegari, illis auferre facultates, quas nulla lex, nullusque caſus fecit caducas? capiunt ſerui ſua bona, Scythæ ſua pretia exigunt, redditus barbaris hominibus non negantur: tantum ſacri ſacerdotes, & ſacri Eccleſię Romanę presbyteri, religionis cauſſa, prędijs eccleſiæ, hæreditate paterna, proprijs redditibus, excluduntur. & quidem regio excluduntur iure, quod ſeruis, barbaris, & immanibus hominibus commune eſt, & omnibus nationibus impenditur. Sed hęc in aliud tempus relinquamus.

20 Ergo ut vnde digreſſi ſumus noſtra reuertatur oratio,

Pauli

Pauli pręceptum ad Rom. 13. in ipſis naſcentis eccleſię primordiis opportunum, immo & neceſſariũ fuit, ne Apoſtoli concitare ſeditionem atque diſcordiam, ne ad defectionem populos ſollicitare, ne tumultus & bella conflare aut regna appetere viderentur. Hanc ſuſpicionem, quæ in Apoſtolos cadere poterat, Paulus ab animis principũ remouet, vt ipſos beneuolos efficeret, beneque de Chriſti religione exiſtimantes. Atque ut eorum animos facilius ad fidem alliceret, omnes Chriſtianos hortabatur. 1. ad Tim. 2. vt pro ijs, qui in ſublimitate erant conſtituti, orationes ac preces funderent (vt ait Tertullianus in Apologetico) & pro eorum ſalute & pace rogarent, vt inde reges bene in Chriſtianos animati, Euangelij prędicationi impedimento non eſſent: quod Origenes in 13. cap. ad Rom. docuit: *Si ponamus Chriſtianos poteſtatibus ſæculi non eſſe ſubiectos, tributa nõ reddere, neque vectigalia penſitare, nulli timorẽ, nulli honorem deferre; non ne merito rectorum & principum in ſe metipſos arma cõuerterẽt, & perſecutores ſuos excuſabiles redderent? Neque enim tam fidei, ſed contumaciæ cauſſa impugnari viderentur.* hæc ibi. Iſtud etiã confirmat Theodolus pręsbyter Cœloſyrię in huius loci commentarijs, ubi ſic ait: *Multam capitis huius vndique prouidẽtiam facit Apoſtolus, monſtrans Chriſti Euangelium non ad publicæ bonæ ordinationis ſubuerſionem datum fuiſſe.* Qua de cauſſa cum lex Euangelica principatus ſæculi non tolleret, merito Chriſtiani pro uita principis, eiuſque imperio cæleſtibus auſpicijs adaugẽdo deprecabantur, ut Athenagoras in Apologia teſtatur: *Nos pro imperio veſtro, preces ad Deum emittimus, ut filius, quod iuſtiſſimum eſt, in regnum olim parenti ſuccedat, vt imperium veſtrũ amplius dilatetur, vt quod vobis ſalutare fuerit, quietam tranquillamque uitam degentes, uobis interim ad qualibet imperata prompte inſeruiamus.* Ergo noſtra cauſſa paremus regibus, ut inde quod ſalutare fuerit aſſequamur, ut tranquillã uitam, quin etiam & tutum eccleſiæ ſtatum habeamus, τοῦτο δ' ἐστὶ καὶ πρὸς ἡμῶν: hoc igitur e noſtra re eſt, vt inde commodis eccleſiæ ſtudere poſſimus. Quamobrẽ merito

Pau-

Paulus omnibus hominibus tam ſæcularibus, quã etiã eccleſiaſticis iniungebat, vt ait Chryſoſtomus ad Rom. 13. Oecumenius, & Nazianzenus in oratione ad ciues, vt magiſtratibus ſęculi (ne prędicationi & religioni Chriſti impedimento eſſent) ſubderentur, ὑποτάσσεσθαι, ideſt, ordine & ratione ſubiecti eſſent, illisque parerent, ſi legibus, & non pro libidine gubernarẽt. Nam ea vox ὑπόταξις, ordinem moderationemq. ſignificat. 1. ad Corint. 14. & Coloſſ. 3. non tamen tyrannidem, quę ſubiectionis ordinem pietatemque euertit. Quare recte admonuit Paulus, parendum eſſe cum ratione gubernantibus, non tantum propter iram, quia in nos principes exardeſcunt: ſed etiam propter conſcientiam; ne ſcilicet aut ingrati ac perfidi eſſe videremur, dum hominibus bene de nobis meritis aduerſamur, ſi iuſta pręcepta illorum iniuſte contemnimus. Sed illorum quidẽ amplectendę ſunt leges quę ſi pro communi conuictu latæ, ad eas ſeruandas epiſcoporum auctoritas acceſſerit, vt Alciatus l. cauſſa, verbo ſancimus, C. de ſacroſanctis eccleſijs, cum clerici nulla occaſione delicti, a ſęcularibus puniri poſſint; vt Iulius Clarus lib. 5. q. 36. nu. 1. & Alciatus c. cum non ab homine, de iudicijs, & Couarruuias Pract. q. 31. nu. 1. docuerunt.

21 Sed quamquam multi ita conſcientiæ vocem exacte interpretati fuerint; ea tamen vt arbitror huic loco accõmodata ſignificatio eſt, vt Euangelij prædicationẽ, & fidei notitiam intelligamus: *Serui ſubditi eſtote*, ait Petrus epiſtola 1. cap. 2. *in omni timore dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis. Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſubſtinet quis triſtitias.* Palam vox συνείδησις τοῦ θεοῦ, ideſt, *conſcientia Dei*, fidei notitiam quam de Deo habemus, quaque eius diuinitatis participes, & ſocij ſumus, ſignificat: quemadmodum cap. 3. eodem ſenſu, & notione vocis vſus eſt Petrus: *Similes*, inquit, *nos effecit Baptiſmus, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio*, συνειδήσεως, ideſt, rectæ fidei ſtipulatio. Ergo propter conſcientiam, ideſt, ne fidei & Euangelio impe-

dimento eſſent, iuſſit Paulus omnes Chriſtianos regibus parere.

Nunc tamen, cum infidelitate propulſata reges eccleſię pareant, & colla ſua ſponte ſubmittant genibus ſacer- 22
dotum (vt ait Hieronymus lib. 17. in Eſaiam, cap. 60.) idē ne Pauli præceptum ſeruandum; aut regibus parendum, ſi temere epiſcopis imperent? Id quidem non arbitror, niſi aliter fidei & eccleſiæ regula exigeret, & temporum neceſſitas cogeret. Quod fortaſſe cum Lucifero Calaritano aſſerere non erit abſurdum. Ita enim Conſtantio Imperatori locū Pauli & Petri obijcienti reſpōdet, lib. de nō parcendo in Deum delinquentibus his verbis: *Addo illud*
Fol. 299. & 266. *quod illorum principum, & magiſtratuum Apoſtolus fecerit mētionem, qui nec dum credidiſſent in vnicum Dei filium; vtique humilitate noſtra & manſuetudine, & longa in aduerſis patientia, & maxima in rebus congruis obedientia, fuiſſent prouocati ad credendum. Ceterū ſi tu quia Imperator ſis, cogas nos Deum derelinquere, num quid acqui eſcendum tibi erit, ne prætermiſſa Apoſtoli videantur præcepta? ſed ualere nō poterunt vires auctoritatis tuæ, quia tu vnus eſſe ex illis inuentris, quos nobis creden-*
Luc. 10. *tibus ſubiecit dominus, dicens: ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & omnem virtutem inimici, & nihil uobis nocebit.* Paulus vero ideo omnes debere eſſe ſubiectos magiſtratibus dixit, ut omnis occaſio tolleretur afficiendi contumelia reges, principes, & magiſtratus; vt Sadducęi nefarie docuerāt. Quod ex can. 84. Apoſtolorū præſcriptum eſt his verbis: *Quiſquis regem, vel principem, præter ius, contumelia affecerit, pœnas luat. & ſi ſit quidem clericus, deponatur; ſi uero laicus, ſegregetur.* Quod etiam in Nomo canone tit. 9. cap. 35. docuit Balſamon. Sadducæorū

Et ſynodus 16. Tolet. c. 8. & habetur 22. q. 5. c ſi qs.

uero eam impiam mentem fuiſſe, ut ſeditionem molirentur, Appollinaris in catena græca demonſtrauit his fere verbis: *Iudas Galilæus vt populum auerteret a Romanorum obedientia, illis non parendum eſſe iactauerat; nullumque hominum dominum appellandū eſſe dixerat: cuius ſententiæ Sadducæi fuere, qui populum hac de cauſſa a ſuis principibus auertebant, &*

huic

huic hæreſi Iudæ aſſentiebantur. Quare vt Apoſtolus huius hæreſis memoriam tolleret, pietatem maximam erga Deum fore docet ſi principibus obtemperemus: & ideo in cap. 13. ad Romanos hũc ſermonem inſtituit, ut illos ab hoc errore corrigeret. Vt hoc tamen Pauli pręceptum obſeruaretur, labentibus ſęculis epiſcopi maxime laborarunt, quo temeritatem populorum aduerſus reges comprimerent, neue ſuos principes barbarica ſeueritate ſummouerent, aut temere occiderẽt: quorum ſane regum Synodus IIII. Toletana cap. 8. vitæ, capiti, & ſaluti conſuluit, & inuiolabilem eorum maieſtatem eſſe ſanciuit. in quam cum Gothorum populi maxima inſania inueherentur, teſte Annonio lib. 2. cap. 20. adeo ut quẽ regẽ minus probarent ſtatim interimerent, aut regno deturbarẽt; nulla alia lege deprimi, aut legitima pœna deterreri potuerunt, quam religione: quæ eorum temeritatem inhibuit denunciato anathemate, vt Rodericus Toletanus lib. 2. cap. 2. & lib. 3. cap. 20. retulit. & habetur 22. q. 5. ca. ſi quis. *Quo quidem tempore*, vt Roderici utar verbis, *per Concilij Toletani ſancionem factum eſt, ut ab omni perturbatione adeo quieſceret Hiſpania, vt nullus in ea infidelis inueniretur, qui arma ſumeret ad rebellandum.* Qui etiam mos cum apud Anglos vigeret, ut ait Gaguinus lib. 4. propterea reges ut ſuæ incolumitati conſulerent, annuo tributo totum regnum eccleſiæ Romanę addixerunt. Sic Sancius primus Aragonum rex, regnum ſuũ eccleſię Romanę annuo tributo inſtituto uectigale fecit, ut ſibi, ſuoque regno & proli proſpiceret: quod ex litteris Vrbani II. quæ in Archiuio monaſterij montis Aragonum ſeruantur, & inde ad me ab Abbate tranſmiſſę ſunt, aperte conſtat, quarum tenor hic eſt: *Vrbanus epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectiſſimis in Chriſto filijs regularibus eccleſiæ, quæ dicitur Ieſu Nazareni*, & infra. *Quia igitur chariſſimus in Chriſto filius Sancius Aragonẽſis ſiue Pamphilonenſis rex, eccleſiam veſtram in Domini noſtri Ieſu Nazareni nomine per ipſum ædificatam, in Romanæ eccleſiæ tutelam ſpecialiter ſuſcipi poſtulauit; eius petitionibus iuſtis libenter annuimus.*

nuimus. Ipſe ſi quidem rex beati Petri deuotiſſimus famulus, Romanæ eccleſiæ ea ſemetipſum, omnemque dominij & regni ſui ſub iectionem deuotione dedit; ut ſe cum filijs ſuis in perpetuum quingentorum Macuſorum, omneque caput in regno ſuo militantium vnius Macuſi Iaccenſis annuatim obnoxios fore decreuit. Et paulo poſt: *Præterea Catholicis omnibus notum fieri volumus; quia regem beato Petro deuotiſſimum Sancium, eiuſque filios & omne eius regnum ſub tutela ſedis apoſtolicæ ſpeciali dilectione ſuſcepimus. Conſtituimus ergo auctoritate apoſtolica ſancientes, vt omnes eius ſucceſſores, regnum illud de manu noſtra noſtrorumq. ſucceſſorum accipiant; & eandem beato Petro nobisq; eius vicarijs fidelitatem obedientiamque exhibeant, eumdem cenſum dependãt, & ſe beati Petri reges miniſtros ac famulos recognoſcant. Quapropter nullus deinceps viuentium, & fidem Chriſtianam tenentium regnum illud temere perturbare, inuadere, aut diminuere qualibet occaſione præſumat; nec moleſtiam vllam Sancio regi eiuſq; ſucceſſoribus, qui in eadem ſedis apoſtolicæ felicitate permanſerint, inferre audeat; ne Dei & Apoſtolorũ eius indignationẽ incurrat.* Deinde ſubiungit: *Hoc igitur noſtræ priuilegiũ ſanctionis, ſi quis in craſtinum agnoſcens, archiepiſcopus, aut epiſcopus, Imperator aut rex, princeps, dux vel marchio, comes aut aut vicecomes, Iudex aut caſtaldio, vel perſona qualibet magna vel parua, potens aut impotens, contra eam temere venire præſumpſerit; & eiuſdem eccleſiæ bona inuadere, moleſtare, vel ſuis vſibus applicare tentauerit, ſecundo tertioue commonitus, ſi non ſatisfactione congrua emendauerit, a Chriſti eum & eccleſiæ corpore auctoritatis Apoſtolicæ poteſtate ſegregamus, & honoris ſui periculo ſubiacere decernimus.*

Ex quibus liquido conſtat, regum præſidium maximũ in eccleſię pręſidio conſtitutum, & epiſcopos, qui regum incolumitati & dignitati conſulunt illis ſuperiores extitiſſe; vt a S. Clemente Rom. lib. 2. cap. 34. & a S. Ignatio epiſt. 9. & ab Auguſtino pſal. 98. a Nazianzeno in oratione. 1. in Iulianũ, ab Iſidoro Peluſiota in 2. to. epiſt. ad Iſidorũ Diaconũ, & ad Cyrum presbyterũ & tãdem a Procopio Gazęo in cõmentariis Eſaiæ c. 9. cõfirmatũ eſt.

11. q. 1. c. ſacerdotũ.

Quare

Quare Romanus Antiſtes, omnesq; alij epiſcopi, vt ſupra explicatũ eſt, regibus non debent eſſe ſubiecti, neque de rebus eccleſię tributa perſoluere, niſi pro ſcãdalo, aut graui aliqua iniuria fugienda; vt de Chriſto docuit Origenes; aut pro pace & quiete ſeruanda, aut ſi cum onere aliquo agri eccleſiæ fuiſſent addicti. Quod 16. q. 1. ca. generaliter & 23. q. 8. ca. tributũ expreſſum eſt. & a gloſſa cõfirmatũ. Vnde bellorũ tẽpore bene poſsũt reges moderate aliquid ab eccleſia cũ Põtificis auctoritate, exigere, ut c. cũ Apoſtolus, extra de cẽſibus, & extra de immun. eccleſ. nõ minus: nõ tamẽ cruces, aut bona eccleſiæ uendere, aut relictis ſolũ cẽtũ pro ſacerdotũ uictu, quidq̃d reliquum eſt, ſuo iure, ideſt, iure patroni (ut uoluit Alphõſus Aluarez Guerrero in ſuo ſpeculo principum, cap. 63.) depoſcere. cum res eccleſiæ pro miſerabilibus perſonis alendis uel defendendis, inſtitutæ ſint. 12. q. 2. ca. aurum, non tamen pro bellis, aut conſcribendis militibus: cum bellorum tempore magis eccleſiæ ſuis redditibus egeant, tum ad eccleſias tuendas, quas ſæpe militum barbarica feritas inuadit, tum ad miſeros alendos, qui eo tempore ad maiorem egeſtatem, rerumque orbitatem rediguntur. Vnde memorabile illud Othonis dictum a Luthprando Ticinenſi relatum lib. 4. cap. 15. animis perpetuo figendum eſſe cenſeo, ut reges tantam Imperatoris pietatem imitentur: qui cum in grauiſſimum diſcrimen incurriſſet, & eius milites transfugę rerum inopia laboraſſent, noluit Abbatiam quãdam Larestherim dictã, prædijs ditiſſimam, comiti concedere, ut illa militum inopia ſubleuaretur. *Scriptum eſt*, dixit prudẽtiſſimus Imperator: *Nolite ſanctum dare canibus. Quod quamuis a doctoribus ſpiritualiter intelligendum eſſe prædicetur, ego tamen ſatis me dare ſanctum canibus cenſeo, ſi monaſteriorum prædia, quæ a religioſis viris Deo ſunt militantibus tradita, tulero, & ſæculi militantibus dedero*. hæc ibi. Sic etiam vt idem Ticinenſis eſt auctor, cum ſacerdos conqueſtus eſſet apud regem, iumẽtũ quod ſolum poſſidebat, a militibus ſui aduerſarijs fuiſſe ſublatũ,

tanta

tanta animi virtute atque celeritate in hoſtes impetum fe-cit, vt illico Sacerdotis iniurias vendicauerit. Aluari vero parum de eccleſia meriti rationes nihil conficiunt, in re prçſertim omnium maxima, quç ſummas poſſet regibus calamitates parere. Quia patrono emolumenta debentur, pro ſua & filiorum ſuſtentatione, non tamen pro defenſione aut recuperatione rerum ſuarum, ut ca. quicũque 2. 16. q. 7. & glo. verb. ad inopiam, ubi ait hoc intelligendum eſſe in ſumma egeſtate, & quando eccleſiæ poſt debitam reddituum diſpenſationem, ideſt, poſt diſtributionẽ in pauperes, & alias miſerabiles perſonas, Sacerdotum curæ & fidei creditas aliquid ſupereſſet. 25. q. 2. §. ultimo, ad finem. Præterea teſtimonium 4. Reg. 18. nobis obſtare non poteſt, quia dedit rex omne argentum domus Domini, non tamen vaſa comminuit, in quibus Deo ſacrificia offerebantur, ſed ea quç depoſito ſeruabantur, aut quæ ad externum ornatum templi ſpectabant, ut erant laminæ argenteæ, quibus fores domus Domini tectç erant, vt etiam ex facto Ioas 4. Reg. cap. 12. colligitur: *Caueant tamen*, vt Gregorij Tholoſani verbis utar, in Syntagmate Iuris lib. 1. part. 1. cap. 20. nu. 8. *qui huiuſmodi tributa exigunt, ne abutantur exactis, neve in vſus alios conuertant. Nõ enim perſonis eccleſiaſticis ſolum iniuriam irrogant, ſed Deo, & pauperibus, quorum patrimonium abſumunt. Deus autem non fallitur, metuendaque eſt execratio ſacri Prophetæ Dauidis, dum ait. pſal. 82. Pone principes eorum ſicut Oreb, Zeb, Zebee & Salmana, omnes principes eorum qui dixerunt, hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei, Deus meus pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti. Nam priuilegium exigendarum decimarum eccleſiaſticarum, conceſſum intelligitur, dummodo enormiter non lædantur eccleſiæ. cap. fin. de uoto, uel miſere, & barbarice non adigantur ſolutores, ad huiuſmodi decimas impendendas, vt cap. 1. §. declaramus autem, de decimis in extrauagan. commu. Cum ex natura introductum ſit, ne quis cum alterius iniuria locupletetur.* quæ vberius ab eodem auctore ſupra citato petenda iudico.

Reſtat

Reſtat tandem, vt Caluini rationibus ſatisfaciam, ne
13 in hac re defuiſſe uidear. Primum certum eſt, reges ex regio
ſuo munere, nihil ſacerdotibus imperaſſe, nec quidquam
illis præſcripſiſſe, quod ad templi ſtatum, aut ad ſacrorum
rationem faceret, cum illi ex legis præſcripto ſacerdotibus
parere debuiſsēt. Quod plane ex Leuit. cap. 4.
ſatis in aperto eſt; vbi ex ſacrificandi ritu, & ex hoſtia quæ
offerebatur, rex cenſetur inferior ſacerdote; cum ille hircum,
hic vero vitulum offerret, ut cap. ſequenti demonſtrabo.
Quod etiam Procopius Gazęus in Eſaiam, cap. 9.
exponens illū locū, *Abſtulit Dominus caput & caudam*, affirmauit:
Caput, inquit, *Sacerdotes ſunt quos Petrus Act. 4. principes
populi & ſeniores dixit, Symmachus ſacerdotes appellauit,
quorū facies admiramur*, ideſt, *αἰδεσίμους venerabiles, aut quos
nulla ui impugnare poſſumus, quos omni cultu & honore proſequimur:
reliquus uero populus ſacerdotū facta comparitione cauda,
& poſterior reipub. pars cenſetur*: ac propterea in maximo
cultu & honore haberi debent illi, qui proxime ad
Deum ex munere accedunt. De qua re egregie Theophanes
Metropolita Nicænus, in epiſt. de pręſtantia ſacerdotum
diſſeruit, quæ gręce manu ſcripta eſt apud me. Ex his
igitur conſtat olim reges & ductores populi, non ex regia
dignitate, ſacerdotibus imperaſſe; ſed aliunde, ideſt, ex
prophetico munere, quod ſæpe Dominus regibus ad bene
beateque gubernandum concedebat. Sic Ioſue ſacerdotibus
imperauit, Dauid templi ordinem deſcripſit, Salomon
benedixit populo, ſacerdotem ſubmouit, non propria,
ideſt, regia auctoritate, ſed vt impleretur ſermo Domini,
quem locutus eſt ſuper domum Heli in Silo. Ergo
non auctoritate regia, ſed diuino ſpiritu afflatus e loco, &
munere deturbauit ſacerdotem: quia quod antea prędictum
fuit a Domino, idem exequendum Salomoni reuelatum
eſt. Eadem ratione Ioas cum feciſſet bonum in oculis
Domini, diuino ſpiritu inductus, templū ſarciri pręcepit,
ex illa pręſertim pecunia, quæ Exod. 30. uſui Tabernaculi
deſtinata erat. Ille tamen 4. Reg. 12. & 2. Paralip. 24.

prius

prius admonuit ſacerdotes,vt ſarta tecta inſtaurarēt,mox prę̨ſcripſit,hoc eſt,paſſus non eſt id quod a Moyſe indictum erat,violari incuria ſacerdotum. Ex his erga colligitur, reges præmonitores eſſe ſacerdotum, ſi hi negligēter aut non rite ſacra conficiant,aut turpibus actionibus reipub. ſtatum perturbent,non tamen dominos. Ac propterea exorari debent ſacerdotes, non ui & imperio cogi,aut temeritate in regiam ſententiam adigi. Meminerint principes ſe educatores,*& nutricios eccleſiæ* ab Eſaia 49. conſtitutos fuiſſe;vt omnia ad eccleſię ædificationem referant; non exactores, vt facit Anglica Ieſabet;quæ alimenta miniſtris eccleſiæ collata ſubtrahit,aut ſuo arbitrio de ſacerdotum redditibus & facultatibus diſponit. Quamobrem Conſtantinopolitani Imperatores,tametſi edicta publica ad eccleſię utilitatem euulgabant,non tamen pro ſuo arbitratu de eccleſię ſtatu ordinarunt, ſed ex epiſcoporum auctoritate atque ſententia:quod ex facto Cōſtantini,Theodoſij,Marciani,& aliorum pijſſimorum Imperatorum cōſtat.Quamprimum vero Imperatores Augusti pro libidine imperare cœperunt,vt fecit Nicephorus Phocas Imp. & prælatos ſimplices ad Imperatoris obſequia aptiſſimos elegere,vt facilius de eccleſię ſtatu diſponerent,Conſtantinopolitanæ reipublicę dignitas paulatim lapſa eſt, donec tandem funditus extincta fuerit. Quod ex Nicephoro Gregora lib. 8. & lib. 9. aperte colligitur,ubi cum Geraſimo Patriarcha ageret, eum ob ſimplicitatem ad imperatoria obſequia aptiſſimum nuncupauit; eaque de cauſſa tales ab Imperatoribus deligi ſolitos, vt dicto audientes cum ſint,tamquam mācipia, nullo ipſis verbo refragētur. Quod Georgius Pachimerus lib.4. hiſtoriæ affirmauit, *In Patriarcha diligendo,illum tanto muneri obeundo idoneum cenſeri,qui Imperatori acceptus foret.* de qua re conqueritur Nicetas Choniata in Alexio Aug. Comneno ubi ait:*Omnes deſignationes ad vtilitatē nominantiū directas,nullamque ad dignitatem imperij aut ad reipub. vtilitatem expectaſſe;cum infantes vagiētes in cunis deſignarentur.*Qua de re Michael Palęologus

logus cum tyrannice imperium inuaſiſſet, Patriarcham Arſenium qui Imperatoris tyrannidi ſe opponebat, e gradu deiecit, & alium ſuo arbitratu ſubſtituit; cũ ęgre paterentur, ſe ab Arſenio ſacris ſubmotum fuiſſe. Quę omnia ex lib. 4. Nicephori Gregorę petenda duco.

CAP. XII.

Epiſcopos in res temporales iuriſdictionem & poteſtatem habere, ſecus ac a noſtris recentioribus iudicatum ſit.

SVMMARIVM.

1 *Recentiores iurisdictionem temporalem ab epiſcopis videtur ſuſtuliſſe.*
2 *Quid ſit iurisdictio ex illorum ſententia.*
3 *Iurisdictio ex quibus initijs deducatur.*
4 *Iurisdictio in res temporales, iure gentium ſacerdotibus competit.*
5 *Romanorum ſacerdotes, in res ſaculares poteſtatem habebãt.*
6 *Iurisdictio Pontificum P.R. circa quæ verſaretur.*
7 *Sacerdotes in veteri lege res ſaculares pertractabant.*
8 *Epiſcopos de ſæcularibus negotijs iudicaſſe, ex Auguſtino demonſtratur.*
9 *Idem ex Gregorio, Cyrillo, Syneſio, Epiphanio, & Iuone Carnotenſe conſtat.*
10 *Inter epiſcopos, multi in negotijs componendis clariſſimi ſunt habiti.*
11 *Qui ad res ſæculares tractandas imperitus eſt, epiſcopatu indignus cenſetur.*
12 *Epiſcopus Romanus ſæcularia negotia pertractat.*
13 *Iurisdictio ab Imperatore epiſcopis conceſſa non fuit, ſed declarata aut prorogata.*
14 *Ex natura magiſtratus, iudicium de miſerabilibus perſonis epiſcopis competit.*

V 15 Re-

15 *Rerum neceſsitas aliquam iurisdictionem epiſcopis contulit.*

16 *Iurisdictio epiſcoporum temporalis ex eorum auctoritate deducta eſt.*

17 *Principes ſi in hæreſim incurrant, a Pontificibus ex iure ſibi diuinitus collato, priuari debent.*

18 *Quam varia apud veteres fuerit magiſtratuum poteſtas.*

19 *Iurisdictio epiſcoporum qualem veterum magiſtratuum iurisdictionem referat.*

20 *Nomina quibus epiſcopi donantur a patribus, eorum iurisdictionem exprimunt.*

21 *Epiſcopi ex mero magiſtratus imperio, leges ferre poſſunt.*

22 *Epiſcopi claſsium ducibus, & exercitus Imperatoribus ſimiles, iudices inferiores poſſunt conſtituere.*

23 *Iurisdictio duplex eſt.*

24 *Iurisdictionis executio triplex numeratur.*

25 *Si principes ſæculi Romano Pont. non pareant, aut eius iuſſa perturbent, vi & armis ad ea ſeruanda cogi poſſunt.*

26 *Recentiorum rationibus ſatisfit.*

27 *Imperatores cur rerum eccleſiaſticarum executionem ad inferiores ſæculi magiſtratus retulerint.*

28 *Rerum ſæcularium tria ſunt genera, & quæ ex Pauli præſcripto epiſcopis conueniant.*

29 *Valentinianus Imperator, & Sozomenus in hac parte audiendi non ſunt.*

30 *Nonnulli recentiores iurisdictioni temporali Romanæ eccleſiæ detraxerunt.*

VOCAT me tota hęc diſputatio,& quaſi ſubloqui videtur,ut de epiſcoporum iuriſdictione,& quo pacto illam in res temporales exerceant,aliquid diſſeram. quę cum maxime noſtris hiſce temporibus in controuerſiam vocata ſit,& vehementiſſime a recentioribus impugnata,neque prætermitenda, neque in tanta rerum perturbatione negligenda eſt: vt tandem illis reſpondere poſſimus, qui grauiter epiſcoporum auctoritati detrahunt.Eorum cauſ- 1

ſa mul-

ſa multis rationibus nititur,quas nullis non locis verſant, & maxime lib. 1. C. Iuſtiniani tit. 4. de epiſcopali audiētia,vbi affirmant epiſcopos iuriſdictionem non habere, quia neque forū legibus habent, vt ait Valentinianus nouel.de epiſcopali iudicio; nec apparitionē, nec executionem;ſed eorum iudicium delegatorum, qui etiam notionem non iuriſdictionem habent, & ſententias magiſtratus exequuntur. Quod ex Sozomeno lib. 8. hiſtorię εἰς ἔργων τὰ κεκρινόμενα παρὰ τῶν ἐπισκόπων ἄγειν τοὺς ἄρχοντας καὶ τοὺς διακονουμένους αὐτοῖς στρατιώτας. & videtur nouel. 120. δικαιοδοσίαν accipere pro notione. Itaque non de epiſcopali iuriſdictione,ſed de epiſcopali audientia merito titulus inſcriptus eſt.

2 Iuriſdictionem vero explicant proprie notionem,quę iure magiſtratus competit, cū ab eo dicatur qui ius dicit, ideſt, iubet.Quæ enim mandata eſt a magiſtratu,aut lege, ſpecialiter magiſtratui delegata eſt, non iure ſuo competit. Officio quidem magiſtratus continetur, ſed iuriſdictione non continetur. Vnde iudicij publici cognitio,executio, & animaduerſio criminum, iuriſdictionis non ſunt quia iure magiſtratus non competūt,vel vt loquitur Dionyſius Halicarnaſſeus,nō ſunt ἀκόλουθου ἐπὶ τὴν ἀρχὴν, ſed lege dātur D.de off. cui man.iuriſd.& l.aliud §.ult. de ver. ſignif. Qua de re ſi ab epiſcopi ſententia appellatum ſit ad pręſidem prouinciæ, & præſes conſeruauerit ſententiam epiſcopi, eam ipſe præſes exequetur l. epiſcopale. C. de epiſc. aud. Quia ſuę ſententiæ epiſcopus executionem non habet,ideſt,iuriſdictionem aut forum ; ſed audientiā, & cognitionem tantum,ut Iudex delegatus. hęc varij auctores noſtri temporis affirmarunt.

3 Sed in hac diſputatione malo veniam deprecari,quam culpa carere,pręſertim cum res eo ſit redacta, ut inter tot iuriſconſultiſſimos, qui noſtro hoc tempore magna cum laude florent,nullus huius cauſſę patrocinium ſuſceperit. Quare vt hanc diſputationem illuſtrem, hęc neceſſario pręmittenda duco. Primum iuriſdictionem ex tribus ini-

tijs originem duxiſſe: lege, neceſſitate, & conſuetudine. Quod ex Modeſtino D. de legibus cõſtat. Cũ iura omnia aut conſenſus populi faciat, ut quę ſunt plebis iuſſu ſancita, aut neceſſitas, vt S. C. cum aucto numero P.R. neceſſitas curam totius reipub. ad Senatum deduxerit, aut tãdem ius conſuetudine firmatum, quod inueteratus mos attulit. Similia Menander de dominatu eleganter retulit:

Τρία γάρ ἐστι δέσποτα δι' ὧν
Ἅπαντα γίγνεται, ἢ κατὰ νόμους
Ἢ τοῖς ἀνάγκαις ἢ κρεῖττον ἔθει τινί.

ideſt, *Tria quidem ſunt here, ex quibus*
Fiunt & præſtantur omnia, aut ex legibus
Aut neceſsitate, & ex moribus tertium.

Hæc etiam tria capita iuriſdictionem in res ſęculare epiſcopis contulerunt.

Primum naturale ius ſiue ius gentium, quo mentes hominum Dei opinione imbuuntur (ut ait Cicero 1. Tuſculana, & Xenophon de dictis factisque Socratis) hanc poteſtatem ſacerdotibus contulit. Numquam enim fuerunt hominum mores ſine ſacris, nec ſacra ſine ſacerdotibus, nec ſacerdotes ſine poteſtate legis ſanciundæ, uel ſine auctoritate iudicij ſtatuendi. Ab externis exordiar, ut liberior poſtmodum dicẽdi campus pateat: Apud Aegyptios teſte Aeliano lib. 14. variarum hiſtoriarum cap. 34. ſacerdotes iudices erant: ſic Druidę ſacerdotes Gallorum, fere de oĩbus controuerſijs, cũ publicis tum priuatis ſtatuebãt. *Et ſi quod eſſet admiſſũ facinus, ſi cædes facta, ſi de hereditate uel finibus cõtrouerſia, ijdẽ decernebant, præmia pœnaſq; conſtituebant. Si quis autẽ priuatus aut publicus eorũ decreto nõ ſtetiſſet: ſacrificijs interdicebant, quæ pœna apud illos erat grauiſsima. Nã quibus erat interdictũ, ij numero ſceleratorũ habebantur, ab his omnes decedebant, aditũq; ſermonẽq; defugiebant, ne quid ex cõtagione incõmodi acciperẽt*: vt auctor eſt Cæſar lib. 6. de bello Gallico, & Stephanus forcatulus lib. de Gallorum veteri religione. Præterea ſacerdotes Germanorum (vt ait Cornel. Tacitus lib. de moribus Germanorum) in conuẽ-

tibus publicis,ubi ſępe de ſumma rerum agebatur,ius habebant imperandi,& ſilentium indicendi. In Aethiopia, ſacerdotes Meroe tanta pollebant dignitate,ut quando illis videretur,regi nūciarent ut mortem oppeteret,regnūque deponeret. Quæ conſuetudo uſq; ad Ergamenem regem perdurauit, ut refert Diodorus Siculus lib. 4. Bibliothecę cap. 1. Apud Slauios,ut refert Helmodius lib. 2. cap. 12. ſacerdotes maiores ſunt regibus, cum ab illorum auctoritate pēdeant; apud Vtopienſes Inſulanos(ut ait Thomas Morus lib. 2. Vtopię)Sacerdotes nulli ſubſunt,omnibus præſunt,ſuntque morum cenſores acerrimi.

5 Eadem gentium conſenſione,quaſi naturæ uocibus impulſus Numa,ſacra in Vrbem inuexit, Pont. Max. alioſq; ſacerdotes conſtituit, eis dedit condendarum legum auctoritatē de ſacris arbitratu ſuo, ipſoſque Pontifices nulli poteſtati fecit obnoxios. Adeo quidem tunc poteſtas Pōtificum ampla fuit, ut non teneretur cauſſas ad Senatum referre,aut ei aliquam rationem reddere,cum Senatus Pōtificum iuſſa reſcindere non poſſet; vt ex Plinio de viris Illuſtribus & ex Dionyſio Halicarnaſſeo lib. 2. colligitur his verbis: *Nouiſſima Numæ inſtitutorum pars continebat, ſacra maximi apud Romanos ſacerdotij, cuius poteſtas eſt ampliſſima. Nam de omnibus cauſſis ad ſacra pertinentibus iudicant, & inter priuatos & magiſtratus, & inter Deorum miniſtros; nouasque leges de ſacris arbitratu ſuo condunt, ſicubi deſtituuntur ſcriptis legibus; ac magiſtratus penes quos cerœmoniæ ſunt, ac ſacrificia, ſacerdotesque omnes examinant: miniſtros quoque ſacrorum in officio continent, ne quid præter ſolennes ritus faciant. A profano etiam & imperito uulgo conſuluntur de cultu Deorum ac Geniorum, alijsque religionibus. quod ſi quem animaduertant præſcripta ſua contemnere, eum multāt pro delicti magnitudine. Ipſi nullius poteſtati ſunt obnoxij, nec debent uel ſenatui vel populo reddere rationem*: Hæc ille. Ab hoc tempore cœpit Pontificum iuriſdictio partim a Nūma conſcripta,partim a Pontificibus aucta,& conſuetudine firmata: quę tantum apud homines valuit, ut multi varijs temporibus magiſtra-

tu ab

tu abire, dignitatem deponere, & poteſtate regia conſulari ſe abdicare a Pontificibus iuſſi coactique fuerint: *cum Pont. Maximus* (vt ait Feſtus Pompeius lib de uerb. ſignif. verbo, ordo conuiuij, *eſſet omniũ ſacerdotum iudex, & arbiter rerum diuinarum & humanarum*. Qua de re Metellus Põtifex Maximus (vt ait Liuius lib. 29.) Poſthumium conſulem ad bellum gerendum Africam petentem, ne a ſacris diſcederet, mulcta indicta, Vrbe egredi paſſus non eſt, religionique ſummum imperium ceſſit. Quo exemplo, alijſq. quam plurimis quæ extant apud Valeriũ Max. lib. 1. cap. 1. Pontificum dignitas, eorumque iuriſdictio maxime commendatur: quam cum Imperatores pertimeſcerent, ſummo Pontificatu initiari, & omnibus ſacris inaugurari voluerunt, vt ait Dion Caſſius lib. 53. ne illorum dignitas alicuius poteſtati cederet. quod etiam ex Virgilio lib. 3. Aeneidos conſtat.

Rex Anius, rex idem hominum, plebique ſacerdos,
Vittis, & ſacra redimitus tempora lauro.

Vbi Seruius exacte omnia; 6

Iuriſdictio uero Sacerdotum verſabatur, tam circa religionem, quam circa rempub. cum res ſacrę ad ſtatum rei Romanæ ſpectarent, vt ait Vlpianus D. de iuſtitia & iure, l. 1. §. 1. & Alciatus l. pupillus §. munus D. de uerb. ſignif. In religionis parte tractabatur de rebus diuinis, de ſacris cæremonijs, de perſonis ſacris, & de his quæ acceſſorie ſacra reſpiciebant. In reipub. negotijs agebatur potiſſimum de pauperibus, pijs cauſſis, de perſonis quæ fori eorum erant; vt ſcribit Cicero, oratione pro domo ſua, & de Aruſpicis reſponſis, & Liuius lib. 1. Item de teſtamentis, cum calatis comitijs, quæ proprie Pontificum erant, ut docet Gellius lib. 15. cap. 26. Pontifices teſtamentorum factionibus pręeſſent. Item de mancipationibus, & adoptionibus diſcernebant, vt multi lib. 2. inſtitutorum tit. 10. docuerũt. Hanc vero poteſtatẽ, quæ maxima erat, ſuſpectã & in uiſam fuiſſe a patricijs, ſatis aperte Liuij locus lib. 4. oſtendit. Apud quem conqueruntur, pontifices augureſq;

ple-

plebi communicari:& graue putāt eſſe,ſi Salij,Flamineſque nuſquam alio,quam ad ſacrificādum pro populo ſine imperijs ac poteſtatibus relinquantur: vt ſatis mirari nequeam,cur aliqui ex hoc Liuij loco omnē iuriſdictionē & poteſtatem adimere Pontificibus contendant,cum tantū abeſt quòd hic locus ſacerdotū iuriſdictionē infirmet,quā quod eā maxime ſtatuat,cū ex illa ipſa populj querela ſumma ſacerdotum auctoritas colligatur.Sic etiam aliorum ſententia uix æquo animo ferenda eſt,qua Pontificum poteſtatem legis munere,non tamen iuriſdictione contineri arbitrantur:cum hæc non a lege ſpecialiter Pontificibus demandata,quales ſunt pœnę criminibus impoſitę,quæ lege proueniunt, ſed ſuo competant iure,& ex natura magiſtratus, ſacerdotiique deſcendant.

7 Pręterea in veteri lege vnde multa cęterę nationes mutuatæ ſunt,ſacerdotibus ſuo iure, non ſolum legum condendarum, ſed etiam de miſerabilibus, & pijs perſonis iudicandi, æterna poteſtas fuit. Moyſes & Aaron leges & cæremonias populis præſcribebant: quos alii ſacerdotes ſecuti, iura ſtatuebant in populo, controuerſias dirimebant,*inter mundum & immundum,inter lepram & lepram,inter cauſſam & cauſſam*,vt ait Ezechiel cap.44. & 2. Paralip. 19. iudicabant: immo vero omnia ambigua cauſſarum genera,de quibus aliqua controuerſia orta erat, ex Deut. 17.a ſacerdotibus tollebantur: cum Dei loco pręſiderent, & in eorum verbo atque ſententia Dei iudicium conſiſteret. Quod religioſiſſimus rex Ioſaphat Paralip.17.ex trāslatione Luciferi Calaritani, demonſtrauit: *Videte*, inquit, *quid vobis facitis*, ideſt, ne graue vobis malum inferatis: *Non enim homini iudicatis,ſed Domino,qui vobiſcum eſt in verbo.* Vnde populus ad ſacerdotes confluebat quęrens, iudicium a Deo, cum eius iudicium atque ſententiam ad ſacerdotis verbum accedere arbitrarentur. Quid autem ſit Dominum in verbo eſſe, ex eodem Luciferi tranſlatione, colligitur: *Ecce*, inquit, *Amarias ſacerdos princeps ſuper vos in omne verbum Domini, & Iabadias filius Simabel qui prin-*

ceps

ceps Domini Iuda, in omne verbum regis. Verbum Domini, lex Domini eſt, in ſcripturis ſanctis contenta: in qua cū omnia iudicia conſcripta ſint, ſacerdotum partes erant, *inter ſanguinem, & ſanguinem, inter cauſſam & cauſſam iudicare*, ideſt, inter ſpirituales, & temporales res iudicium auctoritatemq. interponere, propriaq. iuriſdictione omnem cōtrouerſiam dirimere; vt cap. per venerabilem. qui filii ſint legitimi, ex hac huius loci interpretatione Innocentius III. illud factum diſſoluit. *Verbum* vero *regis*, eius mandata & iuſſa ſignificat, quæ vel ad indicendum bellū, vel ad tributa exigenda, vel ad populi tumultus ſedandos ſpectabant: quod ex illa populi poſtulatione, quę animū Dei perculſerat, colligitur. Bellorum enim maxime cauſſa atque præſidii potiſſimum regem profuſis clamoribus populi poſtularunt, ut Oſeę cap. 13. demonſtratur: *Vbi rex tuus maxime nunc? ſaluet te in omnibus vrbibus tuis, & iudices tui, de quibus dixiſti; da mihi regem*. Quare ad ſalutem, & pręſidium, maxime bellorum tempore, regem efflagitarūt populi, vt a ceruicibus gladios, vaſtitatem ab vrbibus, ab omnibus tandem ferrum flammamque depelleret. At vero iudicium, quod lege præſcriptum erat, ad regem proprie nō ſpectare; ſed tantum legis præſidium atque cuſtodiam, ex Deuter. cap. 33. colligitur his verbis: *Legem præcepit nobis Moyſes hæreditate multitudinis Iacob, erit apud rectiſsimum rex, congregatis principibus populi*. Qui locus eſt ex hebręo facile in aperto eſt, vt obſeruauit Oleaſter. erat enim futurus rex in rectitudine, vel ad rectum, nempe ad legem Domini egregie tuendam, quamdiu cum principibus populi ſocietate quadam & conſociatione iungetur. Etenim ſacerdotes iudices controuerſiarum, inſpectores omnium, punitores damnatorum conſtitutos fuiſſe, Ioſephus lib. 2. aduerſus Appionem conſcripſit. Quod ex Deut. cap. 17. & 19. aperte colligitur: *Si ſteteris teſtis mendax contra hominem, accuſans eum præuaricationis, ſtabunt ambo ante Dominū coram ſacerdotibus, & coram iudicibus*. erant igitur ſacerdotes vna cum principibus qui aſſidebant, ad cauſſas diſcernen-

nendas, vel componendas fore controuerſias, vt Philo lib. 3. de vita Moyſi, docuit exponens locum Leuit. 15. his verbis: *Comprehenſum hominem adduxerunt ad principem, cui aſſidebant in concilio ſacerdotes*. ex quibus aperte conſtat, nũquã Põtifices regibus paruiſſe, neq. illis abrogatã iudicandi poteſtatem, cum ex eorũ præſcripto reges iura conſtituerent atque diſcernerent: ſed Philo Iudæus, licet alibi hanc veritatem aperte docuerit lib. tamen de profugis, maxime ſuis ſacerdotibus fuit iniurius: in alijs quidẽ rebus, ſi credimus S. Auguſtino contra Fauſtum lib. 11. cap. 38. ſatis aperte allucinatus, in hac vero diſputatione, nec ſibi ipſi, nec ſcripturæ conſentiens: cum ſatis liquido cõſtet Leuit. 4. ſacrificium ſacerdotis pro ignorantijs immolatum, principis ſacrificio præferri; ex quo apud ſcripturam cuiuſque hominis dignitas colligitur, cuius rei cauſſam idem Philo in lib. de victimis reddidit, quia ſacerdos toti populo collatus illi par eſſe videatur, eique præſcribat, eiuſq. gerat miniſterium: princeps uero ſacerdoti oppoſitus inferior iudicetur, eique pareat, a quo inauguratur atque regium diadema capit. Qua de re Theodoritus in Leuiticum q. 1. & Procopius Gazęus, in eumdem locum, ſacerdotes veteres principe honoratiores, & maiori dignitate præſtantiores fuiſſe docuerunt, cum reges tamquam inferiores, a ſacerdotibus tamquam a ſuperioribus melioribusq; benedictionem acceperint. Quamobrem in populi grauioribus cauſſis, ſacerdotes sẽper iura præſcripſerunt, & ea fecerunt ſeruare, cum legum transgreſſores, quandoque etiam inuitis regibus, vt de Samuele legimus, occiderint. Quamrẽ fortaſſe minus exacte Sixtus Senenſis lib. 5. Bibliothecę adnotatione 176. complexus eſt, ut alibi, ne orationis curſum retardemus, copioſius demonſtrabo.

8 Similem æque ac veteres ſacerdotes, immo longe maiorem ac illuſtriorem poteſtatem adepti ſunt epiſcopi in eccleſia, non quidem populi conſenſu, ſed auctoritate diuina; qua ipſis a B. Paulo 1. ad Corinth. 6. diuinitus man-

data eſt iuriſdictio, non tam ad ſpiritualia, quam etiam ad ſæcularia negotia dirimenda: Quod plane patrum auctoritate ſatis manifeſtum atque in aperto eſt. Sunt enim in eccleſia ſedes conſtitutę ad iudicandum, ut ex pſal. 121. colligitur, in quibus graue iudicium redditur ab illis, qui pręſunt atque poteſtatem in eccleſia exercent. Hęc enim eccleſiæ auctoritas, inter alia multa a Dauide, hoc maxime nomine cõmendatur, qđ eius pręſidio iudicia reddita, & ad eius Tribunalia iudiciarię cauſſę delatæ fuerint. *Illic*, inquit, *ſederũt ſedes in iudicio, ſedes ſuper domũ Dauid* ideſt, ſedes Tribunaliaq. fuerunt cõſtituta ſuper domũ Dauid, e quibus de domo Dauid regia pronũtiari, & de illius cauſſis iudiciũ ferri poſſet. hãc vero cõſuetudinẽ in eccleſia iudicãdi res tẽporales, inde effluxiſſe ac emanaſſe, S. Clemẽs in epitome gręca pag. 78. apte demonſtrauit; cum thronus Chriſti ſuper domum Dauid excellentior, & ſublimior fuerit conſtitutus; in quo epiſcopi propter perſonę dignitatem aſſiderent, ad iudicandas omnes cauſſas quæ in domo Dauid regia agitantur. Quod etiã ex Ezechiel cap. 34. cõſtat. Vbi cum Chriſtus ſuum munus in paſcẽdis, & regendis ouibus deſcriberet, intulit. *Et quod pingue & forte cuſtodiã, & paſcã illas in iudicio*, ideſt, controuerſias componam inter oues, & ſi quiſquã fortaſſe alium opprimet, iudicabitur; ut ex ſequentibus verbis ſtatim cõſtat. *Hæc dicit Dominus Deus, ego iudicio inter pecus, et pecus arietũ & hircorũ*. filios arietũ fideles ex gentibus ut Theodorus Heraclienſis M.S. appellat in commentarijs in pſalmos, & Euthymius in pſal. 29. hircorum vero pecus infideles, & peſſimos. In hoc uero iudicio ſæcularium negotiorum magnam bonamque partem ab epiſcopis ob muneris iuriſdictioniſque præſtantiam pertractatam fuiſſe S. Auguſt. in pſal. 118. cenſuit his verbis: *Maligni homines efflagitant, aut certe infirmos præmunt, ut cauſſas ſuas ad nos deferre compellant. Quibus dicere non audemus, dic homo quis me cõſtituit iudicẽ, aut diuiſorẽ inter vos? Conſtituit enim talibus cauſſis eccleſiaſticos Apoſtolus cognitores*; & tom. 2. epiſt. 147. ad

Proculeanum ita ait: *Homines quidem cauſſas ſuas ſæculares apud nos finire cupientes, quando eis neceſſarij fuerimus, ſic nos ſanctos & Dei ſeruos appellant, ut negotia terræ ſuæ peragant. Aliquando agamus negotium ſalutis noſtræ, & ſalutis ipſorum. Nõ de auro, non de argento, non de fundis & pecoribus, pro quibus rebus quotidie ſubmiſſo capite ſalutamur, vt diſſentiones hominum terminemus.* & lib. de opere monachorũ cap. 29. *Mallem,* inquit, *per ſingulos dies certis horis aliquid manibus operari, quam tumultuoſiſſimas perplexitates cauſſarum alienarum pati, de negotijs ſæcularibus vel iudicando dirimendis, uel interueniẽdo præcidendis. Quibus nos moleſtijs idem affixit Apoſtolus non utique ſuo, ſed eius qui in eo loquebatur arbitrio. Quas tamen ipſum perpeſſum fuiſſe non legimus. Aliter enim ſe habebat Apoſtolatus eius diſcurſus. Nec dixit: ſæcularia igitur iudicia ſi habueritis, ad nos deferte, aut nos conſtituite ad iudicandum: ſed eos qui contemptibiles ſunt in eccleſia, hos inquit collocate; ad reuerentiam vobis dico, ſic non eſt inter vos quiſquam ſapiens, qui poſſit inter fratrem ſuum iudicare, ſed frater cum fratre iudicatur, & hoc apud infideles? ſapientes ergo, qui in locis cõſiſtebant fideles & ſanctos, non qui hac atque illac propter euangelium diſcurrebant, talium negotiorum examinatores eſſe voluit. Vnde numquam de illo ſcriptum eſt, quod aliquando talibus vacauerit, a quibus nos excuſare nõ poſſumus: etiam ſi contemptibiles ſimus; quia & hos collocari voluit ſi ſapientes defuiſſent; potius quam ut negotia Chriſtianorum deferrentur in forum. Quem tamen laborem non ſine conſolatione Domini ſuſcipimus, pro ſpe uitæ æternæ, ut fructum feramus cum tolerantia. Serui enim ſumus eius eccleſiæ, & maxime infirmioribus membris, quantalibet in eodem corpore membra ſumus. Omitto alias innumerabiles eccleſiaſticas curas, quas fortaſſe nemo credit niſi qui expertus eſt.* 1. Cor. 6.

Sed hic Pauli locus ab Auguſtino citatus, non leuem occaſionem præbet, ut illum breuiter illuſtrem, eo præſertim cum multi contendant numquam hanc poteſtatem dirimendi controuerſias epiſcopis fuiſſe conceſſam: *Audet aliquis veſtrum,* inquit, Paulus, *habens negotium aduerſus* 1. Cor. 6.

alterum accuſari apud iniquos,& non apud ſanctos? Audet in-quit,vt ait Hieronymus & Sedulius,iudicium manu con ſerere, & in controuerſia & contentione uerſari, cum id à Chriſti lege abhorrere videatur?Si tamē id veſtra imbe cillitate fiat, hortor ſaltim ut veſtrę diſceptationes, ſan-ctorum iudicio dirimantur.Quem plane ſenſum Clemens Alexandrinus ſtrom. 7. ex uerbis Pauli videtur agnouiſ-ſe: *Dominus docuit nos obliuiſci accepta iniuria, beneque etiam precari ijs, qui iniuriam intulerunt; cum aperte iuſſerit pro ini-micis orare. Quare iudicio contendere apud iniquos & iniuſtos, nihil aliud eſt,quam uelle videri vicem reddere, & velle iniuriā referre,quod plane non caret audacia.* Baſilius q. 9. diffuſe ex-plicata idem admonuit: *Peccatum*, inquit, *reprehendere & obiurgare oportet,iuxta Domini praceptum,ſed litigare in iudi-ciali foro externo,interdixit pietatis ſermo,dum ait. Qui vult te cum in iudicio contendere,& tunicam auferre,dimitte ei palliū. Et Paulus 1. ad Corinth.6. Audet aliquis veſtrum litigare apud iniquos,& non apud ſanctos?* Sed num veritatem defendere, & noſtras partes tueri, aut aliorum calumnias coercere prohibemur,ita ut neceſſario veritas deſerenda ſit, & ad-uerſarijs premētibus ſuccumbendum?Ne id quidem. ſed ſtatim,inquit Baſilius: *Coram ſanctis vocabimus in iudicium maiorem rationem habentes ſalutis fratrum, quam pecuniarum; præſertim ad declarandam veritatem, dum is qui perfidiam au-ſpicatus eſt nos ad commune iudicium vocat.Tunc enim iure con deſcendimus ad redarguendum proſequentes prouocantem,ut ve ritatem illuſtremus.* Ex quibus verbis aperte conſtat,hoc inter alia maxime eſſe in cauſſa,cur a Chriſtianis lites in-ſtitui atque ab eccleſiæ magiſtratibus terminari poſſint, nempe veritatis ſtudium. Nam licet non ſit perfectionis ſpiritualis litigare,ad quam Chriſtus maxime hortabatur vt S.Diadochus velle videtur lib. de perfectione ſpiritua li,cap. 64. tamen lites iuſtas proſequi,delictum non eſt;cū aliquando neceſſarium ſit eccleſiæ gubernationi, non tā lites inſtituere, quam etiam res ſuas armis belloque de-fendere,ut S. Thomas 2.2.q. 40. explicauit. Petrus vero

Da-

Damianus in epiſt.6.parum eccleſiaſticis videtur conceſ ſiſſe,cum ius omnē litigandi ab eis adimat,cum tamen ſecus ſit,vt Hermas Lematius lib. 7. de inſtauranda veteri religione cap. 29. & 30. docte ſatis & copioſe tractauit. Fateor quidem Chriſtum & Apoſtolos monitis quibuſdā ab huiuſmodi controuerſijs populos dehortatos fuiſſe, nō tamē ab illis ius litigandi ſuſtuliſſe,eo tamē ſeruato ordine ac ratione, ut ad epiſcopos ſuas contētiones deferrent,tamquā ad iudices,a quibus ſopiri, aut dirimi diſceptationes poſſent. Etenim cum turpe videretur Chriſtianos homines, qui ſimplicitati ſtudere debent, apud iniquos iudices deferri,merito inſtituit Paulus apud ſanctos probatęq; fidei homines, & maxime apud epiſcopos,qui & auctoritate & prudentia præſtant, omnes diſceptatiōes terminari. Quod Theodoritus Scutatorius in huius loci commentarijs qui gręci M. S. habentur in Vaticano explicauit: vbi iniquos iudices nominari arbitratur a Paulo,qui humano more,& ex humanæ diei conſuetudine,id eſt,non ex Euangelij religioniſque ſententia iudicabant;ſanctos vero, ſpirituales ſiue ſacerdotes,iuxta illud Pauli ad Galat. 6. *Vos qui ſpirituales eſtis corripite eum in ſpiritu lenitatis*. vel ut habet textus gręcus καταρτίζετε, ideſt,ſi diſſidium fuerit,integrate,aptate,ſolidate.Sic eoſdem Paulus ad Epheſ.4. doctores appellat ad conſumma tionē ſanctorum πρὸς τὸν καταρτισμὸν, ideſt, ad integritatē & ſoliditatem aliorum,ut ab ijs pietas ſanctitaſque doceatur, & diſſidia omnia componantur. Illi uero qui exiſtimant ex Luc.12.a Chriſto cauſſarum controuerſias reiectas fuiſſe cum fratrum poſtulationem reijceret, eorumq; diſſidium nollet componere, minus iuſto Chriſti locum uidentur intellexiſſe. quod S.Titus Boſtrorum epiſcopus explicauit his verbis:*Cur Dominus dicente quodam;Magiſter dic fratri meo, ut diuidat mecum hæreditatem, excepit dicens: Homo,quis me conſtituit iudicem aut diuiſorem ſuper vos? Qui prætermiſſis utilibus,& ad animæ ſalutem facientibus, quæ eum vel inprimis inquirere oportebat, de terrenis momentaneiſque*

an-

anxius; Chriſtum iſtiuſcemodi rerum ſequeſtrem depoſcebat. Ob hoc ergo tamquam importunum neque quidquam, ut ea quæ ſcire debebat, diſceret ſollicitum, placido vultu illum a ſe dimiſit. Cum autem hominem propter repulſam, puſillanimem effectum animaduertiſſet, innata grauitate uſus, cum illi ipſi tum cæteris omnibus quoque, qui vel tunc audiebant, vel in poſterum audituri erant, ſuaſit, ne fluxis iſtis caducisq. rebus nimium ſeſe dederent; neque propter eiusmodi res concertationem aliquam cum fratribus inirent, etiamſi qui plus iuſto obtinere aliquando contenderent. Verum dicti illius: Volenti tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, memores iniuriæ vltro cederent, eaque, quæ ad animæ ſalutem vtilia vel neceſſaria haberentur, ſtudioſe inueſtigarent, & auaritiam fugerent.

Ergo cum ex his conſtet controuerſias ad eccleſiæ & epiſcoporum tribunalia fuiſſe delatas, merito Theodoricus lib. 3. uariarum epiſtolâ 37 ad Petrum epiſcopum hortabatur, ut Germano ius redderet. *Si in alienis cauſſis* (ita enim ſæculares cauſſas appellauit) *beatitudinem veſtram conuenit adhiberi, vt per uos iurgantium ſtrepitus conquieſcat; quanto magis ad vos remitti debet, quod uos ſpectat actores. Atque ideo ſanctitas veſtra a Germano nos aditos flebili allegatione cognoſcat, qui ſe filium legitimum aſſerit quondam Thomatis; dicens partem facultatis patris ſui a vobis detineri*; & ſubiungit: *Quoniam cauſſarum ueſtrarum qualitas vobis debet iudicibus terminari, a quo eſt ſpectāda magis quam imponenda iuſtitia*. hæc Theodericus. 19

11. q. 1. relatum. Iſtud idem S. Gregorius Nyſſenus in uita B. Gregorij miraculorum opificis, docuit his verbis: *Quidquid a Gregorio vel diceretur, vel fieret, diuina virtute & agi & dici populi credebant. Ne ſæcularium quidem ac temporalium controuerſiarum aliud ullum iudicium, ſibi magis ratum ac firmum maioris ve auctoritatis eſſe putabant: Sed omnis quæſtio diſceptatioque, & omnis intricatus, & explicatu difficilis negotiorum nexus, illius conſilijs & admonitionibus reſoluebatur, & dirimebatur.* Quod ex epiſtola. 1. canonica eiuſdem Gregorij can. 5. col-

5.colligitur.Vbi Euphroſinum iudicem ſe tranſmiſſurum pollicetur, ut iuxta formam ſibi præſcriptam, agros a Gothis occupatos faceret reſtituere, & quænam eſſent accuſationes admittendæ diſponeret. Theophilus Alex. epiſtola.2.Paſchali, poteſtatem iudicij ſibi datã eſſe, & iurgantium fratrum cauſſas ad ſe deferri ſolitas memorat. Quod plane ex S.Cyrilli facto ſatis dilucide comprobatur, ut refert Nicephorus lib.14.cap.14. Qui cũ epiſcopatũ ſuſcepiſſet, maximo faſtu, grauiſſimorum magiſtratuum more eam dignitatem iniit, a quo initium habuit eccleſia Alexandrina, vt in ea epiſcopi ſæcularia negotia frequentius gererent, & inſtituta ciuilia quæ Græci πολιτείας nominãt, ſeu deſcriptiones ordinationesq. publicas inſpicerent. Quod fuit in cauſſa, quamobrẽ præfecti Vrbis epiſcoporum potentiam oderint, quod hi multa ex publicis negotiis quæ ad illorum iuriſdictionem antea pertinere videbantur, ad ſe ſuaque Tribunalia pertraxiſſent, vt iam ſuperioribus capitibus docuimus. Prçterea S.Epiphianus, vt in eius vita a Ioanne conſcripta legimus, cum defenſorem eccleſiæ ſtlitibus diiudicandis conſtituiſſet, & potius pauperum quam iudicii rationi conſuleret, eo expulſo, omnibus qui ad illum veniebant iudicium reddebat, eosq; a matutina vſq. ad horam nonam audiebat, ut illorũ dirimeret controuerſias. Ad hæc Syneſius qui tempore Theodoſii floruit, hęc ſeculariũ ciuiliũq; negotia ad eccleſiã ſpectare, in epiſ. ad Eunopiũ, quã refert Nicephorus lib.14. cap.55. egregio teſtimonio docuit his verbis: *Negotia epiſcopus gerere debet, quæ ſimul oẽs tangunt. Quæ enim cõmunia omniũ ſunt, vnũ ipſum curare opus eſt, niſi criminibus omnibus obnoxius eſſe uelit.* Et paulo poſt. Cum a curis quibus homines nimium conficiuntur, abhorreret maxime, tamen ſe munus iudicandi ſuſcepturum, pollicitus eſt his verbis: *Conſtantiam ſi Deus voluerit retinebo; Atque quamuis a curis alienus macerabor, cauſſarumque & negotiorum quantumuis graue miniſteriũ hoc, Deo confiſus, ſuſtinebo.* Quæ vero fuerit iſta negotiorũ adminiſtratio, ex verbis græcis aperte

te colligitur. Erat enim δικιδίων καὶ πραγμάτων λειτουργία; ideſt, cauſſarũ & negotiorũ adminiſtratio, ut etiã in epiſtola ad Andronicum exactius explicauit. Iniquo enim animo patiebatur Syneſius, otio nimium indulgens, turbam tumultumque fori, illamque multis verbis inſectabatur, publicum ſacerdotium hac ſola de cauſſa auerſatus. Sed tandem cum precibus victus, in Pontificem conſecraretur, ſe alacriter & ex animo ſęculares cauſſas ſuſcepturum promiſit. Quod munus adeo ſtudioſe ſuſtinuit, ut plerumque magna militum manu, ut ipſe variis in epiſtolis eſt auctor, multis repugnantibus & inuitis obnixe retinuerit, ne ab aduerſariis pro ridiculo haberetur. Tandem Iuo Carnotenſis, cum negotia ſæcularia pertractaret, & ſubditorum cauſſis cõſuleret, in epiſtola 4. ita ait: *Errabundis ouibus medicinã prouidere nos cõuenit, ne otiũ noſtrũ negotijs ſæcularbus præponamus, quo minus parturiẽti eccleſiæ debitũ miniſtremus.* Et epiſt. 6. *Noſtræ orationes propter inſtantes neceſſitudines & ſæculariũ negotiorũ tumultus ſæpe ſunt pturbatæ.* ſed de his copioſe multa pertractata ſunt ab Helia Archiepiſcopo Turonenſi, in eo libro quem inſcripſit, contra impiam Gallorum ſancionem cui pragmaticę nomẽ eſt, edito Romæ apud Eucharum ſitber 1486. Solet enim eccleſia uarie per diſpenſationis rationẽ agere, ut ait Iuo Carnotenſis epiſtola 262. & 285. easque leges ſtatuere, quas opportunitas tẽporis, & neceſſitas tulerit: ex qua ſola re veteris Philoſophi ſententia quã falſo ex Suida hæretici referunt, facile confutari poteſt, cum perperam ciuilem virtutem ab epiſcopali functione ſeiungat, & tamquã ea quæ maxime natura diſſident, connecti poſſe neget.

Hæc tamen perabſurda ſunt, cum inter epiſcopos in 10
negotiis ciuilibus peragendis, & dirimendis fori controuerſiis, multi clariores & inſigniores ſint habiti, qui hac de cauſſa eccleſiæ adminiſtrationem ſuſceperunt; vt Phileas Thumitarum epiſcopus, quem egregio teſtimonio commendat Nicephorus lib. 7. cap. 9. & Macedonius Conſtãtinopolitanus in tractandis ſęcularibus negotiis,

&in

& in conuictu hominum, conſuetudineq. magnorum virorum (vt idem eſt auctor lib.9.cap.4.) miræ virtutis & induſtriæ. Qui ea de cauſſa ab Alexandro ſanctiſſimo epiſcopo deſignatus aliis omnibus epiſcopalē cathedram præripuit; ſic Maurilius Cadurcorum epiſcopus, vt ait Gregorius Turonenſis lib.5.cap.42. in iudiciis publicis reddendis, ſummæ virtutis atque induſtriæ extitit. Adeo enim rerum temporalium cura epiſcopo neceſſaria eſt, vt ſine ea res ſpirituales negligantur, atque exacte gubernari nō poſſint. Quod docuit Paſchalis Papa 1.q.3.ca.ſi quis obiecerit: *Cum præſulatus eccleſiæ, non ſolum de ſacerdotum, verū etiam de ſæcularium vtilitatibus debeat eſſe ſolicitus*; (1.q.4. ca. quia) *& extrinſecæ ſubditorum vtilitati proſpicere.* 39. diſt.ca.Petrus. Quare merito epiſcopi multa ſæcularia negotia ad ſua Tribunalia deduxere, ne ſubditi ob ſacerdotum neglectum, ſæcularium principum iniuriis paterent.

11 Quare iure a ſummis Pontificibus ſancitum eſt, illos vt indignos ab electione promotioneq. muneris Pontificii repellendos eſſe, vel ſaltem illis coadiutores ſociosq. adiungendos, qui ad cauſſas ſęculares pertractandas imprudentes exiſtunt, vt 74.diſt.cap.epiſcopus.& 7.q.1.ca.quia frater. Quod etiam in concilio primo Carthaginienſi, vt refert Burchardus Vvormacien. lib.1.cap.8. ſtatutū eſt. Epiſcopos qui ordinandi erant antea examinari debere, an ſemper ſuis negotiis cauerint; an ſuis rebus conſuluerint, cum maxime rebus omnibus, quę ſibi ex munere epiſcopali credi ſolent, diligenter pręcauere debeant.

12 In qua re Romani Pōtifices totius Vrbis & orbis Antiſtites, maximam laudem promeruerunt: cum in omnibus cauſſis grauioribus, quæ vel ad religionem publicāq. diſciplinam, vel ad ſtatum rei Romanę, ubi dominatum gerunt, ſpectarent, plurimum auctoritate ualuerint. Extat magni illius ſenatoris patritiiq. & pręfecti vrbis Aurelii Caſſiodori, lib.11.varia. epiſtola ad Ioannem epiſcopum Romanum conſcripta, ubi aperta fit eius auctoritatis mentio. Sed illius verba audiamus. *Nolite in me tantū*

reijcere ciuitatis illius curam, quæ potius veſtra laude ſecura eſt. Vos enim ſpeculatores Chriſtiano populo præſidetis, vos patris nomine vniuerſos diligitis. ergo ſecuritas plebis ad veſtram reſpicit famam, cui diuinitus eſt commiſſa cuſtodia. Quapropter nos decet cuſtodire aliqua, ſed vos omnia. Paſcitis quidem ſpiritualiter commiſſum vobis gregem: tamen neque iſta poteſtis negligere, quæ corporis iuſtitiam videntur continere. Nam ſicut homo conſtat ex dualitate, ita boni patris eſt vtraque refouere. hęc ille. Quæ plane cum alijs omnibus patribus maxime conſentiant ideo S. Ignatius varijs in epiſtolis, & S. Clemẽs Romanus lib. 2. conſt. cap. 14. 25. 26. & 34. epiſcopum regem appellat: quia non ſolum animis, ſed etiam corporibus pręſit. S. Grego. Nazianzenus Apologetico 1. & oratione de modeſtia ſeruanda, epiſcopos rebus omnibus ſęcularibus tamquam animam corpori pręfectos exiſtimat; vt quemadmodum Deus animę, & anima corpori; ſic epiſcopus rebus omnibus imperet. S. Hieron. in epitaphio Nepotiani, epiſcopũ cum rege conferens, illum huic anteſtare, atq. ſuperiorem eſſe confirmauit: *Rex nolentibus præeſt, epiſcopus volentibus; ille terrore ſubijcit, hic ſeruituti datur; ille corpora cuſtodit ad mortẽ, hic animã ſeruat ad vitam; huius cõuerſatio quaſi in ſpecula cõſtituta, magiſtra eſt publicæ diſciplinæ; et quidquid fecerit id ſibi oẽs faciendũ putãt.* hæc ille.

Sed ad aliud caput accedamus, & de imperialibus reſcriptis, quibus non tam conceſſa quam prorogata, aut euulgata fuit epiſcoporum iuriſdictio, diſputemus. Imperator Conſtantinus, vt ait Nicephorus lib. 7. cap. 46. iudiciũ ciuiliũ cauſſarũ iuriſdictionemque in clericos epiſcopis commiſit, quæ tamen proprie ab Imperatore epiſcopis mandata non fuit, cum illis ex canone Apoſtolico 37. ex proprio munere & magiſtratus officio conueniret. Mox quod epiſcopi decernerent id robur auctoritatemq; ſententię habere decreuit, & firma immutabiliaque eſſe voluit, quæ in ſynodis iudicata forent: quæ plane a Chriſto Domino potius quam principum reſcriptis firmitatem obtinent; cum ſynodalia decreta Spiritus ſancti au- 13

ctori-

ctoritate, & non humano prçſidio aut ingenio nitantur. Iſtud tamen eo conſilio prçcepit Deo chariſſimus Imperator,& in Codicem De ijs quæ in eccleſia manumittuntur, l. 1. & 2. retulit, & in Codicem Theodoſianum lib. 16. tit. 2. l. 4. ne ab inferioribus magiſtratibus, ui aut dolo malo ſanctiſſimorum epiſcoporum decreta infirmarentur. Ita etiam de hçreticorum factione, qua eccleſia vexabatur, iudicium cauſſamque ad Silueſtrum Pontificem retulit idem Imperator,euocatis ad domum Fauſtæ ex Gallia epiſcopis, vt in cauſſa Donatiſtarum vna cum Silueſtro aſſiderent. Quod ex B. Hieronymo epiſt. 133.ad Marcellam, vbi de Reticio Auguſtodunēſi epiſcopo agit,& ex Optato Mileuitano lib. 1 ſatis aperte liquet. In qua rerum perturbatione, mirificū ſe Conſtantinus prçbuit artificē;vt Donatiſtarū ſiue Mōtenſium temeritatem comprimeret,ut ex C. Theodo. lib. 16. tit. de epiſ & cle. l. 1. conſtat. Conſtantinum vero imitati ſunt alij Imperatores,qui ſanctiſſimas leges pro eccleſiç libertate tulerunt,quç in C. de epiſ.& cler. & de ſacroſ. eccleſ. continentur. Sed maxime multa Iuſtinianus in nouellam 123. retulit,in qua cautum eſt,non licere ab epiſcoporum ſententia & iudicio prouocare, atque ad eam infirmandam alterius magiſtratus interceſſioni deferre: cum plane impium videretur a parentum noſtrorū ſententiis recedere. Sic etiam nouel. 86. ſancitum eſt,ab epiſcopis vindicari debere eas iniurias,quæ a prçſide prouinciç ſubditis imponuntur.

14 Quæ omnia tametſi ab imperialibus reſcriptis emanare videantur, proprie tamen ab ipſomet epiſcopali munere & magiſtratus officio deſcendunt, vt l. 30. lib. 2. Vuiſigothorum ſancitum eſt his fere verbis: *Sacerdotes Dei, quibus pro remedijs oppreſſorum vel pauperum, diuinitus cura commiſſa eſt, Deo mediante teſtamur, vt iudices peruerſis iudicijs populos opprimentes paterna charitate commoneant, deinde iudicium terminent, & ſpecialiter iudicij ſui formulam denotent.* Et quæ ſequuntur,

ut ſtrictim omnia complectamur. Hinc conſtat hanc poteſtatem in ſacerdotes a Deo prouenire, quæ tamen Imperatorum legibus confirmata eſt, vt ipſorum religioni ac pietati hæc ordinis ſacerdotalis immunitas, adſcribi poſſe videretur. Qua de re l.29. eiuſdẽ 2. lib. ita cautum eſt. *Quia multimode occurrere debet miſerorum penurijs noſtræ remedium pietatis, ideo quemcumque pauperem conſtiterit cauſſam habere, epiſcopus adiunctis ſibi alijs viris honeſtis, inter eos negotium diſcutere, uel terminare procuret. Ita vt ſi a Comite cõtemni, vel nolle eum acquieſcere veritati ſacerdos inſpexerit, poteſtatis eius ſit eundem Comitem legis huius permiſſione conſtringere, ut emiſſo iuſto indicio cum rei compoſitione, rem de qua agitur petentibus partibus conſignare. Quod ſi Comes iudicium epiſcopi fuerit contemptus implere, epiſcopo pro contemptu ſolo dare cogatur quantum quintam partem valere conſtiterit de re illa, vnde actio commota eſſe videtur.* Hæc ex lib. Vuiſigothorum, qui Foro iugzo apud Hiſpanos, vbi hę leges latæ ſunt, nũcupatur. Quę profecto pœnæ iure imponuntur comiti, qui epiſcopi poteſtatem iuriſdictionemque contemnit, cum olim inobedientes ſacerdotibus capitali pœna plecterentur; vt eſt etiã a Iuſtiniano in nouell.86. relatũ. olim enim qui ſe in eccleſiaſticorum cauſſis præſumebat ingerere, decem libris multabatur: apparitores vero executioni officio perpetuo ab epiſcopo prohibebantur, ut Balſamõ tit.9. cap. 1. demonſtrauit.

Ex his tertium iuriſdictionis initium deducitur, quod 15
epiſcopis multis in rebus auctoritatem contulit, cum ab eis variorũ populorũ tumultus ſedati extinctiq. fuerint; vt de Baſilio, & Cyrillo, & Sergio Papa retulimus. Nam cum ſæpe populi a præſidibus vrbium per ſummam uim iniurijs afficerentur, ad propriam uendicandam libertatẽ neceſſario epiſcoporum præſidio egebant, vt in legibus vel ferendis vel abrogandiš eorum accederet auctoritas. vt de Cyrillo refert Nicephorus lib. 14. cap. 14. Cum enim epiſcopi conſtituti ſint in populis tamquam nuntij & interpretes Dei, ad eorũ dignitatem ſæpe adiectæ ſunt

huma-

humanæ opes,honoreſque ampliſſimi,quibus communiti præſides prouinciarum ac reges in officio haberent, parentumque auctoritatem apud omnes obtinerent; atque inde cuſtodes ac vindices publicæ libertatis exiſterent. Hoc vero ſæpe factum eſſe apud Italos,Hiſpanos,Gallos, Germanos,Britannos,Polonos,veteres auctores,& varia regeſta Pontificum memorię prodiderunt : cum non ſolum efferentem ſe regum & magiſtratuum licentiam ſaluberrima epiſcoporum auctoritas coercuerit ; ſed etiam populorum tumultus,vt docuimus, aduerſus reges excitatos compreſſerit. Quare cum populi nullo ſe alio pręſidio contra libertatem oppreſſam tueri,aut nobilitatem extinctam ſe ipſos firmare potuerint ;ſæpe ad rerum ſtatum ſeruandum ne regna laberentur, epiſcopos catholicæ pietatis cultores externa potentia claros, & auctoritate inſignes habuere,ne ſpreta eccleſię auctoritate, tamquā euulſis radicibus,quibus fixa ac confirmata eſt ſalus omnium, reipub. ſtatus concideret : quod S. Iſidorus Peluſiota 2. tom. epiſtola ad Iſidorum eiuſdem nominis diaconum videtur conſtare. *Sacerdotij & regni munera (o Iſidore qui mecum cōmune nomē habes) diſtant, atque etiam maxime inter ſeſe differunt. Illud enim velut anima, hoc vero vt corpus cenſetur. Sed in ſalutem eorum qui obediunt, tamquam in finem ſpectant. Qua de re apud Iudæos, cum ipſi principatum obtinebant, ſacerdotium tamquam magis neceſſarium conſtitutum eſt, & a multitudine ſeiunctum; illi vero cum nimis carni dediti, atque etiam rudes eſſent, & regnum poſtulaſſent, ipſis utilitatis cauſſa conceſſum eſt, ſcilicet vt reprimeret lapſus eorum, qui ſacerdotio non parcebant. Etenim qui ſacerdotio funguntur, ad illuminandum, qui potiuntur regno ad ſeruandum populum inſtituti ſunt. Quorum altero ſublato, nullum ſalutis fundamentum conſiſtit. Vnde Propheta Daniel volens omnem rerum Iudaicarum interitum per crucem demonſtrare, omnemq. ſpem reliquijs populi Hebræorum ſublatam fuiſſe, vt poſt hac nihil iam maius animo concipere poſſent, dixit: Deſtruetur chriſma, & iudicium non erit in ipſa. Chriſma Sacerdotium ſignificat, iudicium vero Regnum, & reipub.*

Lib. 12. legum Vuiſigothorum cap. 25. Hermoldus lib. 1. cap. 12.

pub.conſtitutionē,præſertim cum ſubuerſo ſacerdotio et regni,& aliorū omniū ſubuerſio viſa fuerit.res enim magis præcipuæ atq; præſtantes,quæ omnia ſuo gremio complecti videntur, nullibi inſiſtere poſſunt. Verum regni baſis eſt in Deum pietas,maxime vero ſi cum illius fuerit ſeruituti coniuncta:ſed quoq; regni interitum & reip. Iudæorum funditus euerſionem prædicit Propheta, atq; etiam teſtimonio pollicetur, alias res pulchriores, & diuiniores futuras et ad maiorem celebritatem perducēdas. hęc Iſidorus. Externas vero opes maxime neceſſarias eſſe tam ad populorum ſtatum, quā ad regni præſidium auctor eſt Helmoldius Buzouienſis lib. 1.annaliū cap.12.*cum munificentia Othonis Imperatoris ſacerdotes temporalium rerum affluentia cumulati fuerint,vt in de populi fauorē aſciſcere poſſent.*quod epiſcopi Germanię in conuētu Geilenhuen,vt idē eſt auctor lib. 3.cap.18.teſtati ſunt his uerbis:*Domine Papæ tenemur obedire,vobis idem vero principi Romani imperij a quo tēporalia poſſidemus,ad aſſequendas oēs iuſtitias ueſtras iure teneamur aſſiſtere.*ergo grati animi cauſſa ob prędia eccleſiæ collata,iuuare cōſilijs regē debēt,ipſi tm̄ obedire nō debent.

Enim vero Chriſtianorum regnum, iam profanum nō 16
eſt, ſed vna cum ęternæ ſalutis vtilitate coniunctum : non ſæculare,ſed ſpirituale potius,cum illorum auctoritate dirigi ac gubernari debeat, ad quos ſpectat ſpiritualis finis cura & cuſtodia. Vnde principes quamprimum Chriſtiani effecti ſunt, & legitimum imperium per ſacerdotum inaugurationem ſuſcipiunt, non iam abſolute gubernant, ſed vna cum Chriſto imperii habenas gerunt, ideſt, vna cum ſacerdotibus ditiones ſibi ſubiectas tenent; præſertim cum reges ad exequenda mandata ſacerdotum a Domino fuerint inſtituti. Quod S. Gregorius Nazianzenus in oratione ad ciues graui timore perculſos,explicauit his verbis : χριστῷ συνάρχεις, χριστῷ συνδιοικεῖς, ideſt, non abſolute tu , o Rex imperium geris, ſed vna cum Chriſto ſimul gubernas ; vna ſimul cum ſacerdotibus prouinciam adminiſtras. ſubiungit: παρὰ ἐκείνου σοι τὸ ξίφος, ideſt, ab illo enim gladius Imperatoribus, & Regibus tribuitur,

cum

cum in publica inauguratione legitimũ ius vtendi gladio cõceſſerint ſacerdotes:quod quidẽ de imperio Germano rum ſatis liquido conſtat,cũ illud hactenus beneficẽtia & liberalitate Pontificũ,reges Germaniȩ obtineãt,vt Zona ras in vita Irenes & Cõſtãtini, Leonicus Chalchõdylas li.1.Hermoldius Buzouiẽ. in chronico lib.1.cap.3.Crãt-zius in metropoli li.1.cap.14.Cl. de iure iura.cap.venera bilẽ de ele.& electi. Robertus Gaguinus.li. 1.Radeuicus li.1.ca.9.& tãdẽ Hadrianus IIII.in ſua epiſt.ad Fridericũ retulerũt.Eſt enim ſpiritualis poteſtas veluti anima, quæ corpori prȩeſt,cuius actiones niſi ab illa originem ducãt, omnino concidunt: anima vero efficit corporeos anima lis motus,eoſque efficienter producit. Prȩterea informat corpus,illique uitam & eſſentiam confert. tandem eſt ve lut finis,ad quem omnes corporis actiones referuntur. ea dem prorſus ratione,ſpiritualis poteſtas eſt forma tempo ralis poteſtatis,cum ipſa quid iuſtũ,quid nõ ſit prȩſcribat; atq; de omnibus legibus,actionibusq; ſæcularibus, tãquã forma diſponat.eſt etiã efficiens cauſſa:quia vnacum tem porali poteſtate cõcurrit,ut actiones bene diſpoſitȩ exer ceantur.Tandem finis cenſetur rerum temporalium:quia vt ait Iſidorus,*eo conſilio a Deo inſtituti ſunt reges, vt reprime rent lapſus eorum,qui ſacerdotio parere recuſabant*. Qua de re ſpiritualis poteſtas vnacum temporali omnia gubernare, non quidem quaſi dignitas Pontificia regum poteſtatem impediat aut tollat,ſed vna cum poteſtate temporali Pó tifex ſuum imperium exercere debet. Nam quemadmodum anima,ut ait Ariſt. lib.1. de anima,ſola non net,neque texit,neque ȩdificat;neque ſolum corpus anima deſtitutũ hȩc munera exercet,ſed id quod ex vtroq; concre tum eſt; ſic ſola temporalis dignitas ipſa per ſe gubernare nõ poteſt, niſi eccleſiaſtica poteſtate quȩ eius eſt anima fulciatur. Neque vero nunc poteſtas temporalis alio genere finis ab ſpirituali diſtinguitur, cum vtriuſq; idẽ ſit inſtitutum,nempe ciuium felicitas: olim enim antequã regnum eccleſiæ pareret, ſine ſecernebatur ab ſpirituali

cap. ſundamenta.

22. q. 60. ar. 6. ad 3.

pote-

poteſtatẽ; nunc vero cum in vnum quaſi corpus coalue-
rint,vtriuſque idem eſt finis ac inſtitutum: vnde licet fa-
cultates animę ſentientis a facultatibus animę rationalis
diſtinguantur,cum tamen anima rationalis corpori infun
ditur,tunc ipſa inferiores animæ facultates complectitur;
vt ab ipſa tam actiones vitales,quam animales,quam etiã
rationales producantur.Idem prorſus de regno dicendũ
eſt. quod ante quam religionem Chriſti ſuſcepiſſet, nulla
prorſus ratione ab ſpirituali poteſtate pẽdebat:quam pri-
mum tamen ſpiritualis poteſtas ipſi tamquam rationalis
anima ad informandũ acceſſit;ab illa omnes actiones re-
gni gubernari debẽt.Quas ob res nõ iam libere reges ſuo
arbitratu de cultu ſacro,& de religione ſeruanda pręſcri-
bere,nec leges etiam circa res temporales pro libidine sã
cire,nec populos pręter ius faſque punire & coercere poſ
ſunt, ſed ex chriſtianę religionis decreto & diſciplina.
Hermas Lematius. Quæ omnia vſq; adeo vera ſunt, vt olim principes a ſub-
ditis populis tributa exigere non poſſent,niſi Synodi cõ-
ſenſus acceſſiſſet,vt ex lib. 12. legum Vviſigothorum ex
pręſcripto Toletani concilij aperte conſtat.

Hinc hæretici,qui Chriſti religionem deſerunt,regno 17
potiri non poſſunt,cum perſecutores fidei effecti,tamquã
beſtię immanes quę omnem prorſus humanitatem exue-
runt,regno deturbari debeant. Qua de re quamprimum
religionem deſerunt principes,a Romano Pontifice ſuis
regnis & ditionibus eijciuntur, cum indignum ſit hęreti-
cos imperare catholicis, aut religionis contẽptores ſub-
ditis religioſis præſcribere. quod ſatis in aperto eſt apud
Luciferum Caleritanum lib. 1. pro S. Athanaſio aduerſus
tyrannidem Conſtantij Imperatoris: *Proba,* inquit Luci-
fer, *o Conſtãti te ſuper nos factum iudicem, proba ad hoc te con-
ſtitutum Imperatorem, ut nos armis tuis ad omnem implendam
voluntatem amici tui diaboli perduceres. Cum probare nõ poſſis,
quia præceptum ſit tibi, non ſolum non dominari epiſcopis, ſed &
ita eorum obedire ſtatutis, ut ſi ſubuertere eorum decreta ten-
taueris, ſi fueris in ſuperbia comprehenſus, morte mori iuſſus ſis.*
Quo-

Quomodo dicere poteris iudicare te poſſe de epiſcopis, quibus niſi obedieris, iam quantum apud Deum, mortis pœna fueris mulctatus? Cum hec ita ſint, tu qui es profanus ad Dei domeſticos, quare iſtam ſumis in Dei ſacerdotem auctoritatem; cum etiam ipſos iudices Iudæos tunc quando in lege manebant Dei, ex genere habere permiſerit ſuo? Si enim, inquit, Moyſes, dixeris, ſtatuam ſupra me principem, quomodo & reliquæ gentes, quæ in circuitu meo, conſtituens conſtitues ſuper te ipſum principem, quemcumque elegerit Dominus Deus tuus, ipſum de fratribus veſtris conſtitues: non poteris conſtituere ſuper te hominem alienigenam, quoniam non eſt frater veſter. & ſubſequitur: *cur noluerit alienigenam fieri principem, ne ſcilicet ad ſectam ſuam traheret alios. Propterea dicit, ne reuoces nos in Aegyptum, hoc eſt, ad idolorũ cultum, quaſi dicat; Quis es tu, inquã, qui tibi vſurpaſti hanc auctoritatẽ; quã tibi Deus non tradidit? & ſi traderet, & inter te eſſe permitteret, primo in loco Chriſtianum te eſſe oportuerat, quia ſcelus eſſet alienigenam Dei ſeruos iudicare, inimicum religionis domeſticos Dei. Deinde ſi fuiſſes Chriſtianus, & te principem cenſuiſſet Deus ſacerdotibus fieri, ad gerendum populum eius, accipe qualem te eſſe præceperit in Deuteronomio: & erit cum ſederit in principatu ſuo: ſcribe hoc in libro ante ſacerdotes & leuitas, & erit cum ipſo, & legeris eis in omnes dies vitæ eius.* hæc Lucifer. Grego. verò Nazianz. qui Lucifero poſterior fuit, in oratione de laudibus Baſilij, hæreticis principibus, tributa perſoluẽda eſſe negauit, idque ex S. Oreſtis ſententia cõfirmat his verbis: καὶ τὸ μὴ χρῆναι δασμοφορεῖν κακοδόξοις πᾶς γὰρ ὁ λυπῶν κακόδοξος, ideſt, & illud vectigal hæreticis perſoluendũ nõ eſſe: quiſquis enim illi moleſtiam exhibebat, in hæreticorum numero habebatur. ex quibus verbis aperte colligitur, regem illum cõſtituẽdum eſſe, qui frater ſit, hoc eſt, Chriſtianus, eo enim nomine Chriſtiani donãtur à B. Chryſoſtomo homil. 25. epiſt. ad hebræos, & ca. ad menſam 11. q. 3. illi tributa ſoluenda qui catholicus ſit. Tanta enim inter caput & membra debet eſſe conſenſio, atq; religionis concordia, ut merito negauerit Iouinianus qui poſt mortem Iuliani

Apoſtatæ ſalutabatur Auguſtus, ſe poſſe exercitui imperare, qui peſtiferę religionis doctrina eſſet imbutus; ut docet Theodoritus lib. 4. cap. 1. Hinc Valentinianus Imperator negauit Valenti fratri auxilium, quia religionem diuerſam amplectebatur, & Chriſtum impugnabat, vt auctor eſt Cedrenus in hiſtoriarũ compendio: idẽ plane de Gratiano Auguſto retulit Zonaras, qui affirmauit cum homine Dei hoſte ſocietatem ineundam non eſſe. ex quibus conſtat merito regem Romanorum iure iurando cõfirmare, ſe numquam ſocietatem habiturum cum eo, qui catholicæ fidei communionem nõ habet; ne videatur amicitiam cum perfidis contraxiſſe; & refertur in Clement. vnica. §. porro. de iur. iura. Vnde epiſcopi quamprimum neceſſitate officij vrgentur, reges qui religionem impugnant, vel e gradu deijciunt (vt ex Hieremiæ teſtimonio docuit Lucifer lib. de non parcendo in Deum delinquentibus) vel illorum tyrannidem conuitijs inſectantur. De qua re S. Iſidorus Peluſiota tom. 2. epiſt. ad Cyrum presbyterum ſcripſit: *Sacerdotium regno ſublimius & praſtantius eſt, ſed non decet illos, qui hoc munus ſortiuntur, eius cauſſa elatos eſſe, atque eo nomine alios contemnere, ſed potius per omnem animi manſuetudinem, eius præſtantiſſima atque aptiſſima ornamenta extollere, ut inde omnes animaduertant, ſacerdotium omni mortalium honori, ac dignitati præſtare, quando diuina gratia & nutu ſacerdotium aſſecuti ſunt; vt in aliorum vtilitatem & commodum cederet: & iuſti cum ſint, tyrannidem aliorum inſectari poſſint.* hæc Iſidorus. Epiſcopos uero ex auctoritate Pontificis Romani, Imperatores deponere potuiſſe, docet Hermoldus lib. 1. cap. 32. Vbi cum epiſcopi hæſitarent, utrum poſſent regem regno deturbare, ſic illos bene animatos ac cõfidentes reddidit Maguntinus. *Quouſq. trepidamus, o ſocij? nonne officij noſtri eſt regem conſecrare, conſecratum inueſtire? Quod ergo principum decreto impendere licet, eorundem auctoritate tollere non licet? quem meritũ inueſtiuimus, immeritum non deſueſtiamus?* hęc ibi.

Qua de re Henricus IIII. in epiſt. ad Hildebrandum

ſe

ſe, ſuamque perfidiam Iuliani exemplo tueri non poteſt qui cum eſſet Apoſtata, epiſcoporum tamen prudentia depoſitus non eſt, ſed ſoli Deo relictus eſt deponendus. Hoc enim ab eccleſia opportuna ratione eo tempore permiſſum fuit, ne ille grauius malũ excitaret aduerſus Chriſtianos, & in eos ferocius deſæuiret, ut ca. Iulianus. 11. q. 3. & ca. Imperatores. §. Iulianus, & ibi glo. quod etiam docuit Ioannes Lupus tract. de confœderatione principum, q. 2. Quæ licet uera ſint, nihil tamen ſui muneris intermiſerũt epiſcopi, quin hominem grauiter obiurgarẽt, atque conuicijs a tanto errore & impietate auerterent. Fruſtra tamen ut ex lib. eiuſdem Iuliani conſtat, qui Miſopogon inſcribitur.

18 Sed addendum eſt, vt hæc diſputatio illuſtrior fiat, magiſtratuũ alios habuiſſe notionẽ tantũ & nõ iuriſdictionẽ, alios iuriſdictionem & executionem, alios vero iuriſdictionem, nõ tamen in rebus omnibus executionem, alios tandem executionem & iuriſdictionem, non tamen iudicium. De ſingulis dicam, & ad quam partem referẽdi ſint ſacerdotes demonſtrabo. Ab extremis igitur ordiamur. Cenſores iuriſdictionem & animaduerſionem habebant, in hac enim maxime executio cõſiſtit, qua uel ciues ſenatu mouerent, vel in ceritum tabulas, & in ærarium referrẽt, ut eius diſciplinę notas cõmemorat Gellius li. 4. cap. 20. lib. 7. cap. 22. proprie tamen iudicium non habebant, vt auctor eſt Cicero oratione pro A. Cluentio his verbis: *Maiores noſtri numquam neque iudicium nominauerunt, neq; perinde vt rem iudicatam obſeruauerunt, animaduerſionẽ auctoritatemque cenſoriam, cum rei iudicatæ pondus, auctoritatemque non habuerint.* Quod quidem ideo factum arbitror, aut quod per notationem, & nõ inter reum actoremque diſceptatio fieret, vel quod eorum notæ propriæ pœnæ animaduerſionesque non eſſent, cum ſine ignominia remitterentur, vt ait. Gellius lib. 7. & Aſconius Pedianus in diuinatione. Conſules vero, pœnes quos ſuprema Vrbis auctoritas erat, executionem omnem non habebant,

cum tamen iuriſdictionem haberent: neque enim iniuſ-
ſu populi, capite ciuẽ Romanum plectere poterant, cum
id popularis fuiſſet poteſtatis.l.2.§.exactis.& §.deinde ex
his D.de orig.iur. Eadem ratione Legatus procõſulis cõ-
ercendi, & atrociter verberandi ius nõ habebat, cum ta-
men iuriſdictionem habuiſſet. l.ſi quid erat. D.de officio
proconſulis. Creatis vero dictatoribus non ſolum illis iu
dicandi poteſtas data eſt, verum etiam ſumma animad-
uertendi exequendique auctoritas.§.ex actis.l.2. D.de o-
rig.iur. vt ab eorũ iudicio atque ſententia prouocari non
poſſet. Tandem pedanei iudices, qui quaſi plano pede iu-
dicabant, nec pro tribunali ſententiã ferebant; nec iuriſ-
dictionem, nec plenã cognitionẽ habuerũt. Sed per capita
ἐν χήμασι, ideſt, per notationẽ, vt ait Iuſtinian. nouel.82.
iudicarũt, cum facile ab illorũ ſententijs appellari poſſet. 19
Primum epiſcopi cum pedaneis iudicibus comparãdi
non ſunt, qui ſolũ notionem habent, & ab illorũ ſentẽtia
prouocare licet; nam cum hoc iudiciũ partium arbitrio
ſuſceptum leue ſit, nihilq; ex ſe auctoritatis habeat, nihil
maius profecto aut firmius Eccleſia habuiſſet, quam Iu-
dæorum ſynaoga poſt Hieroſolymorũ excidium, cui lege
permiſſum eſt, vt ex partium conſenſu liceret, ante arbi-
tros delectos cauſas componere. l.Iudęi.in C. Theod. de
iuriſdictione. Pręterea epiſcopi cum cenſoribus confe-
rendi non ſunt, quorum iudicia non ſtabant: neq; cum di-
ctatoribus, qui capitales ſententias ferebant: ſed potius
cõſulibus ſimiles, & fere auctoritate pares adiudicari de-
bent; qui cum multa tractarent, ſententias tamen in capi
tali iudicio exequi nõ poterant. Eſt enim in eccleſia ſe-
niorum ordo ampliſſimus, & presbyterorũ ſenatus orna-
tiſſimus, ad quẽ referebantur negotia, & apud eum diſce-
ptabantur cauſſę, vt ex Tertulliano in Apologetico, ex
Clemente Romano, & S.Ignatio in epiſtolis, & ex S.Hie
ronymo in 3.cap.Eſaiæ, & habetur 16.q.1. ca. eccleſia li-
quet. Quare cum epiſcopi huic ſenatui pręſint, conſulum
dignitatẽ, auctoritatemq; obtinebunt vt quemadmodũ ij

leges ferre, & S. C. edere poterant; ſic etiã epiſcopi leges cenſere,ſancireq; poſſunt,quibus neceſſario parẽdum eſt, ne grauiſſimus Reipub. ſtatus perturbetur. Qua de re merito reges ab eccleſię cõſuetudine, quã antiquitas roborauit,recedere nõ poſſunt,vt S.Ferrãdus Carthaginienſis in Parænetico ad Rheginũ comitẽ reg.5. docuit,ne ordo eccleſię,cui ipſi maxime parere debẽt,fędari poſſe videatur.

20 Sunt enim epiſcopi principes, nõ modo ob eã cauſſam quod principatum in eccleſijs obtineant, verũ etiã quod ἀρχὴν ἀνεξέταστον,vt loquitur S.Greg.Nazian. in Apologetico, hoc eſt liberam,& referendarũ rationẽ omnino ſolutã poteſtatẽ habeãt, vel eo maxime quod ἀρχὴν: ideſt,iuriſdictionẽ obtineant, quã imperium ſequitur. Sed quamquã multi ἀρχὴν ad iuriſdictionẽ non referãt,ſed ad imperiũ,nihil refert tamẽ; dum hoc ita cũ iuriſdictione connexũ ſit, vt ab ea neceſſario obuenire fateamur. etenim epiſcopi pręſunt tanquã anima corpori,cum talẽ diuina prouidẽtia ordinẽ obtineat, vt quemadmodũ eſt in corpore τὶ ἄρχον, ideſt, quod imperat & pręſcribit, & aliud τὸ ἀρχόμενον καὶ ἀγόμενον,ideſt,quod gubernatur,quod ſubijcitur,quod regitur, ſic in eccleſia ad eius καταρτισμὸν, ideſt, integritatẽ & firmitatẽ,vt loquitur Paul.ad Galat.6.& Epheſ.4.reperiri debẽt alii qui pręſint,alii qui pareãt. Quæ imperandi prouincia λειτουργία ἡγεμονία. ideſt,ſacra præfectura & imperiũ dicitur, cum epiſcopus a Gregorio Nazianzeno βασιλεὺς καὶ ἄρχων,ideſt,rex,princeps & magiſter nuncupetur.

21 Quamobrem, ex mero magiſtratus imperio competit epiſcopis leges rogare,& de ipſiſmet Imperatoribus ferre ſententiam,vt quemadmodum Apoſtolus νομοθετεῖ ἄρχουσι καὶ ἀρχομένοις, vt ait Gregorius Apologetico 1. leges conſtituit,& imperauit principibus,& qui ipſis ſubduntur,ita quoque & ipſimet Pontifices Imperatoribus præſcripſerint. Qui Pontificibus neceſſario parere debent, ne a regio throno & dignitate tanquã degeneres deturbentur. Quod Gregorius Nazianzenus,oratione ad ciues timore perculſos, edocuit, vbi ῥάβδους, ideſt faſces, quibus Imperatores

peratores auctoritate tuentur, ſubmitti debere ſacerdotibus edixit, cum ipſi, δυναστίαν, ideſt, regium imperium in principes exerceant. Atque id quidem non modo ſpirituale, quod Petrus 1. epiſto. cap. 2. βασίλειον ἱεράτευμα, vt interpretatur Lucifer, regnum ſacratiſſimum, ſed etiam temporale, quod proprie δυναστία dicitur, vt ſuperius docuimus. At vero leges moderate ferre, in initio naſcentis eccleſię, Apoſtolis cautio fuit, cum ſolum eo tempore eas imperarint, quę a legibus humanis negligenter omiſſę fuerant; vel de quibus nihil lex humana decreuerat, vt de fornicatione ſimplici Origenes lib. 9. in cap. 13. ad Romanos demonſtrauit.

Præterea epiſcopus eſt tanquam claſſium dux, vt ait Gregorius Nazianzenus oratione ad CL. epiſcopos, & totius belli Imperator, vel Tribunus militũ, qui toti exercitui præeſt, & totius militiæ adminiſtrationem, curamq. habet, cum Tribuni militares Conſulibus poteſtate pares fuerint, vt ait Eutropius lib. 2. breuiarij. Ab his vero muneribus, qui poteſtatem iuriſdictionemq; tollit, rei militaris virtutem tollit: ſub cuius tutela & præſidio omnia cõtinentur. Gubernatores vero claſſiũ, ſi idonei habiti ſunt, quibus claſſis committatur cuſtodia πιστοὶ, ideſt, vt docet Harmenopolus lib. 6. promptuarij tit. 3. magiſtri nuncupantur. Qua voce ſeruum vicarium, qui in rationibus reddendis toti familiæ præeſt, Chriſtus Dominus Matth. 24. πιστὸν δοῦλον, ideſt, fidelem ſeruũ appellauit, cum Chriſti familia magnę naui ſit ſimilis, vt docet S. Clemens Romanus lib. 2. conſt. cap. 57. in qua ſedet epiſcopus tanquã in puppi, & diaconi tanquã nautę, vt quę opportuna ſunt, accurate diſponant. Qua de re imminent epiſcopis ęque ac gubernatoribus nauium, & Tribunis militaribus grauiſſimæ curę, ne dum in negotiorũ fluctibus comprimendis, non modo non in bellorum tumultibus ſedandis, quibus ſępe conficimur. Quod pręter Clementem Romanũ epiſt. ad Iacobum fratrem Domini, Nazianzenus Apologetico 1. & oratione de modeſtia ſeruanda, mirifice inter

cętera

cætera demonſtauit. Cum appellet epiſcopum ἡγεμονίαν ἐγχειρισθῆναι πολέμου, ideſt, totius belli adminiſtrationem, quaſi manibus gerentem. Qui vero aliquid defert manibus executionem adminiſtationemq; eiuſdem habet, cũ ea quę in noſtra poteſtate ſunt, in manu noſtra eſſe dicantur, & δίκη ἐν χερσίν, ius in manu, ius a ſe dicere, & non per alienos iudices repoſcere ſignificat, vt Pomponius lib. 2. D. de origine iur. ait omnia manu a regibus gubernari, ideſt, non aliena ope, ſed a ſe ipſis omnia iura dici.

Vnde Grego. loco citato epiſcopali munere tribuit χειραγωγῆσαι, ideſt, manibus ſubditos tenere ac ducere, & diligenter omnium incommodis præcauere, damna depellere, neceſſaria ciuibus iubere, parare, inſtruere; vt ſicut duces exercitus, magiſtratus, ac militares iudices aſſignabant, qui de controuerſiis exortis cognoſcerent. l. 1. C. de offic. milit. iud. & l. 3. D. de re militari: Eadem ratione epiſcopi pro commodo ſubditorum minores iudices negotiis pręficerent, vt ex Paulo 1. ad Corint. 6. demonſtratur. Erat enim inter ſeptem diaconos vnus, qui negotia ſęcularia gereret, & ad epiſcopum referret, vt S. Ferrandus Carthaginiẽſis diaconus, in prooemio paręnetici ad Rheginũ, ſe curis ſæcularibus deſipatũ affirmauit. Quod plane ex conſuetudine eccleſiæ græcę colligitur, & ex Canone. 62. concilij Nicæni, quem refert Franciſcus Turrianus, ubi vnus ex ſeptem Diaconis πρωτέκδικος dicebatur, qui cuſtodiæ legum ſacrarum præerat, & de homicidijs & alijs criminibus inquirebat. hos ex conſuetudine Romanę eccleſiæ, Iudicum primicerios appellat Benno Cardinalis in vita Gregorij VII.

23 Iuriſdictio duplex eſt, altera quę in ipſo iudicio exercendo vim continet, & executionem; altera, quę ipſum met iudicatum exequitur. Ad primum genus referuntur hæc, actor reo actionem edat, teſtes producat, reus compareat, in ius vocetur, comprehendatur, in ius educatur, vt inſtit. de pœna temere litig. §. omnium, quę illo reſpõſo continentur, quod iuſſit vetuitve Prætor. D. de re iud.

cum

cum proprie hęc edicta dicantur.l. ad peremptoriũ.D. de iudicijs. qua iuriſdictione nullus magiſtratus deſtitutus eſt,ne futilis aut leuis eorum poteſtas eſſe uideatur. Qua de re facile Labeonis uana fiducia reprimitur, qua tribunum plebis in ius vocandi, vt ait Gellius lib. 13. cap. 12. poteſtatem adimebat;cum prehendendi & in vincula ducendi auctoritatem concederet.

Poſterioris generis tria ſunt capita : nam poſteaquam 24
ſentẽtia lata fuit, aut ipſe met prætor exequendam iubet; aut ab ea recedere non licet, neq; ad aliud tribunal prouocare; aut quamquam is ſententiam tulit eam non exequatur, coactione tamen facere poteſt eam exequi. Prętor iubebat iudicatum ſolui,& ſtatim ſoluebatur; cum ab eo nulla eſſet prouocatio, ſed executionem paratam haberet. deinde in iudicis ſententia, tametſi cautum non eſſet ut ſtatim debitum ſolueretur,ſi tamen nulla interceſſio alterius magiſtratus eſſet,uel prouocatio reo permiſſa, cenſebatur iudicatum ſoluendum, cum iure nullo prohiberi poſſet. Tertio cum princeps cogit magiſtratum inferiorem ſeruarę,quidquid ab ipſo imperatum fuit, principis iuriſdictioni aſcribitur. ex his rebus facile epiſcoporum iuriſdictio liquet. Primum epiſcopi in capitali ſupplicio executionem non habent, nec ſecures ad terrorem tamquam dictatores deferunt; quibus ſtatim reum capite plectant,aut detractis veſtimentis, multum ad necem uſque cedant: quod B.Hilarius in pſalm.2. docet, Paulo ius prætorium non fuiſſe, nec ipſum lictoris officio vſum. id enim ab epiſcopali munere, vt docet Paulus ad Titum, cap.1.abhorret maxime,quod etiam in cap. in Archiepiſcopatu de raptoribus cautum eſt:ſed quia ab epiſcoporũ decretis recedere non licet, neque ad alium iudicem prouocare,ut docet Iuſtinianus C. de epiſcopali audientia, & nouella 123. merito executionem ſententię habere dicentur; cum interceſſione alterius magiſtratus impediri non poſſint. Tum etiam eorum executio hac vna in re apparet maxime,quod cum ipſi ob muneris perſonęque grauita-

uitatem huiuſmodi iudicia ſæpe abijciant, & ad inferiores iudices referãt: eoſdem cogere poſſunt, ut epiſcopales ſẽtentias abſque tergiuerſatione exequantur. Quod ex l. 29. Vuiſigothorum demonſtratum eſt, & ex cap. 2. de maledicis conſtat. vbi blaſphemi ad ſæculares principes puniendi remittuntur, qui ſi eos punire neglexerint, ab epiſcopo diœceſano pœnis adhibitis, coactione compelli poſſunt ſæculares principes ut imperata ſeruentur. vt 23. q. 5. ca. adminiſtratores, & ca. de liguribus. & 96. diſtinct. ca. Imperator. & cap. ad Apoſtolicę §. nos itaq; verſ. priuamus, de re iudic. libr. 6. Quod etiam docet Paulus de Oberſtain de prȩeminentia cãcellariatus, concluſ. 1. Nam cum Pontifices rerum temporalium immediatam executionem contulerint Imperatoribus, ut extra de maiorit. & obedient. cap. ſolitæ, & extra de electione cap. per venerabilem. vt etiam Ioannes Quintinus de Ariſtocratia comprobauit; ipſi Imperatores quę ab epiſcopis præſcripta ſunt, pœnis ſeruare facere debẽt. 23. q. 5. ca. principes, ut diligentius epiſcopi rebus ſpiritualibus inuigilent.

Quod ſi principes ſęculi Pont. Max. prȩcepta negligant, vel quę ipſis prȩſcripta ſunt exequi contemnant, vel vt plerumque fit, iuſſa eorum impediant, aut perturbent; tunc liberę ſacerdotes pœnas temporales in eos prȩſcriptas per ſe ipſos exequi, & in ſui præſidium, quod fecit Cyrillus, Chriſtianorum auxilia poſtulare poterunt. Quod Hieremias cap. 16. loquens de Apoſtolis demonſtrauit his verbis: *Ecce ego mittam piſcatores multos, dicit Dominus, et piſcabuntur eos, de omni monte & de omni colle, & de cauernis petrarum.* Qui venantur primum armatorum aliis omnes ſaltus cingunt, ne quę beſtiæ prȩtereant: tũ lanceis, & venabulis vrſos ſectantur, canibus vrgẽt, cõcitatiſſimo equorũ curſu in apros irruũt, vt eos cõfodiãt, vel cũ illis egregie confligentur: ſic Apoſtoli & eorũ ſucceſſores, cũ piſcatione barbaras gẽtes quaſi dolo capere aut retibus ob feros morȩs cõtinerę nõ poſſent, eas quaſi

11.q.40. bellu as & ſues ſaluaticos in mōtibus vbi idola colebātur, ſectati ſunt, ut ad eccleſiæ obedientiam,& ad virtutis cultum adigerent. Quod B. Ioannem feciſſe legimus, apud Euſebium lib. 3. cap. 17. Qui adoleſcentem, quem epiſcopo educandum reliquerat, per ſiluas concitato equo ſectatus fuit, ut eum ad bonam frugem reduceret: ſic Chriſtus flagello de funiculis confecto e templo Patris ementes & vendentes proiecit, cum id ſi auxilium a principibus imploraſſet, conficere non poſſet. Sic Babylas epiſcopus (ut auctor eſt Chryſoſtomus) dexteram in pectus Imperatoris impegit, ut eum a templo repelleret. Sic Amphianus martyr (ut ait Euſebius) in Hiroclē prętorem irruit, eum humi ſupinum prouoluit, plagis affecit, cum Dei ac naturæ leges violari ægre ferret. ſic Samuel Agag regem in fruſta concidit 1. Reg. 15. cum Saul rex eum a morte ſeruaſſet, Sic Elias in Prophetas Baal 3. Reg. 18. & in quinquagenarios Ochoſiæ 4. Reg. Eliſeus in pueros irriſores 4. Reg. hac vſus eſt poteſtate. Et Ioiadas in Athaliam 4. Reg. 11. & 2. Paralip. 22. & Eliachim in Holofernem illam exercuit. Quare licet prohibitum ſit epiſcopo manibus ſuis aliquem cædere, cūm ſit alienum a ſacerdote (ut ait Iulianus Anteceſſor nouella 123. cap. 16. & habetur 86. diſt. ca. non licet) ſi tamen epiſcopus non habet miniſtrū qui verberare aut nocētem cędere poſſit, per ſe quoque verberare poteſt, ut ibi notat gloſ. Verberare inquā, non tamen atrociter ad mortem vſque cædere, ut cap. cū beatus 45. diſt. & 23. q. 5. ca. Circuncelliones.

Ex quibus omnibus palam aduerſariorum rationes diſſoluuntur, in quibus cum abſolute de iuriſdictione epiſcoporum in res temporales pronuntient, neceſſe eſt, vt una cum epiſcopali poteſtate tribunalia eccleſiaſtica, de quibus ſæpe pronuntiatur, & ius noſtrum repoſcimus, funditus ſubuertant. Quę cum a S. Gregorio Nazianzeno, oratione ad ciues ſtatuantur in eccleſia, ſæpe etiam βῆμαλα, ideſt, tribunalia de quibus iura poſtulamus, ſæpe δυναστία, ideſt, regius gradus appellentur; & a S. Chryſoſto- 26

ſoſtomo(tom.1.hom.5.de verbis Eſaiæ)epiſcopi in ſublimiori tribunali præſidẽtes dicãtur: æquius plane de eorũ iuriſdictione ſtatuere debuiſſent. Theodoſij vero cõſtitutio & Iuſtiniani nouel.fortaſſe a Conſtãtini Magni decreto(quod refert Nicephorus lib.7.cap.49.)originem duxerunt. vbi religioſiſſimus princeps nihil unquam auſus eſt in rebus eccleſię vel ſtatuere, uel decernere;niſi quod Patrum ſententijs laudatum,vel ſacris ſanctionibus ratũ firmumque foret.

27 Qua de re cum can.8. Apoſtolico cautum eſſet, ne ſe epiſcopi aut presbyteri publicis popularibusue adminiſtrationibus immitterent, vt commodius pietati uacarent: Ideo princeps optimus quidquid ab epiſcopis iudicatum foret,ad ſæculares magiſtratus exequendũ retulit,cum in executione,quę vi & armis haberi ſolet,ſępe graues perturbationes,nonnumquam etiam ſeditiones atque tumultus excitentur: a quibus omnino vacuos ac liberos voluit epiſcopos,ne ijs quaſi turbinibus tranquillius eorum vitę ſtatus deijceretur.

Sed bene haberet Conſtantini decretum ,niſi iam aliqua mala ſuborta eſſent,quę ad eccleſię iuriſdictionem infirmandam clanculum obrepunt.eo enim res deducta eſt, vt iam epiſcoporum negligantur decreta, contemnantur iudicia,ſententiæ impugnentur., temporalium bonorum vſus eis quandoque interdicatur.Hinc grauius ſubſecutũ eſt malum,cum iudicia epiſcoporum ad ſęcularia tribunalia examinanda plerumque referãtur. Quod fecit Valentinianus iunior, quẽ infracti pectoris Ambroſius tom. 3. epiſtola 5. & 32. obiurgauit , & in Imperatoris adulatores epiſcopos acriter inuectus eſt, quia ſacerdotalia iura laicis ſubſternerent.

28 Sunt enim tria temporalium adminiſtrationum genera,de quibus fit mentio apud Paulum,& apud Apoſtolicos canones, ex quibus facile colligitur quid olim penes ſacerdotum dignitatem exiſteret. Primum δημοσίας διοικήσεις, ideſt, quę ad popularia negotia, & rerum publicarum adminiſtrationem ſpectant, vt pote, quæ in comitiis tri-

bunitijs, centuriatis vel curiatis, ad creandos magiſtratus populi tractabantur; à quibus presbyteri & epiſcopi cano ne 80. remouentur, cum turpe eſſet, eos vel tribunos fieri militares, vel magiſtratus Romanos eligi (vt can. 82. prohibitum eſt) vel de magiſtratuum electione diſcernere, vt faciebat olim Collegium Pontificum Romanorum. Alterum vero genus eſt eorũ quę κοσμικαὶ φροντίδες vel βίου πραγματείαι, vt ait Paulus 2. ad Timot. 1. ideſt, ſęculares curæ dicuntur, de quibus preſcribebat Apoſtolus ne quiſquam militans Deo, huiuſmodi negotijs ſe ipſum immiſceret, cum illa exercere ius faſque non eſſet epiſcopis & diaconibus; qualia ſunt mercaturę, vſuræ, fideiuſſiones, quę omnia a ſacerdotibus aliena ſunt, ut cã. 6. Apoſtolico cautum eſt. Neque enim debet eſſe epiſcopus aduocatus, neque aliorum pecuniarias cauſas defendere, ut ait S. Clemens Romanus lib. 2. cap. 6. neque de ſuis rebus litigare, vt ex lib. 4. variarum, epiſt. 44. ad Antonium conſtat, cum tantum ab re ſua otij eſſe non poſſit, niſi id per procuratores fiat, qui Apocriſarii nominantur, nouell. 123. Neque etiam debet fideiubere, neq; pro alijs poſtulare, ut can. 20. Apoſtolico prohibitum eſt, & Syneſius epiſtola 121. Optatus lib. 1. Photius tit. 8. cap. 13. retulerunt. Tertium vero genus eſt eorum, quæ βιωτικὰ appellantur a Paulo 1. ad Corinthi. 6. noſter tamen interpres, ſęcularia negotia reddidit. Ex vocis vero etymologia vitalia, ſeu victualia interpretari poſſumus ex Ambroſio. Sub qua voce continetur, vt conſtat ex lib. 3. var. epiſtola 44. & liber 6. formula 6. quidquid ad victum ſpectat, quod etiam ex Apuleio libro de dogmate Platonis colligitur. Etenim victualia in comercij facultate conſiſtunt, ideſt, in frumenti emendi vendendique inuicem iure, ut ait Vlpianus in frac. titulo 19. & Theophilus §. 1. de inuti. ſtipulat. vel potius in negotiandi iure, vt l. Senatus. de contra. emptio. Cum hęc in comercio ſiue promercio, ſeu negotiandi ratione conſiſtant. l. cæteræ, de legat. 1. Victualia vero ſignificant

cant omnia illa,quæ ad victum neceſſaria ſunt, nempe ad habitationem, ad agrorum ſationem & cultum, ad venditionem, depoſitum, mutuum, & alios contractus, qui ex gentium iure proueniunt; ſine quibus vitæ noſtræ temporalis ſtatus tutus atque tranquillus eſſe non poſſet. Etenim victus nomine, continētur ea quæ eſui, quæ potui, cultuique corporis, & vt vno verbo complectar,quæ ad viuendum homini neceſſaria ſunt, quibus tuendi curandique corporis noſtri gratia vtimur, teſtę Vlpiano l. verbo victus,de verb. ſignific. Sic & victuale vel *βιωτικὸν* omnia illa continet quę victui neceſſaria ſunt, videlicet domus,quam victus vicem habere Labeo docuit, & tectum. Harum igitur rerum cura adminiſtratioque a Paulo commiſſa eſt epiſcopis, cum turpe eſſet a profanis magiſtratibus, noſtrę vitę neceſſaria quærere. Hæc apud eccleſiæ tribunalia tractabantur, hę controuerſię diſceptabantur, quas epiſcopi pro ſua auctoritate & iuriſdictione dirimebant: de quibus Paulus 1. ad Theſſ. 4. pręcipiebat, ne quiſquam circumueniret in negotio fratrem ſuum, ideſt, ſupplantaret fraudibus, aut violentia opprimeret & ſuffocaret; ſerui nequam imitatus exemplum, qui conſeruum ſuum opprimebat & ſuffocabat, vt debitum ab eo violenter exigeret. Sed quo nam pacto inde alię cauſſę ad eccleſiaſticos princeps deferri cœperint, quaue illas auctoritate confecerint, licet arduum & difficile videatur, ſequenti libro vbi omnia copioſe tractabuntur, diſceptabo.

29 Quæ uero ex Valentiniani nouella obijciuntur, ad eccleſiæ immunitatem impugnādam,parum fidei & auctoritatis habēt, præſertim cum ab his Imperatoribus profecta fuerint,qui minus commode negotijs eccleſiæ conſuluerunt. Nam Valentinianus pleraque contra eccleſiæ libertatem inſtituit, quæ enormiter ſacerdotes lędebant; cum eos hæreditatibus inter dixerit, & eccleſijs pias donationes relinqui prohibuerit, ut in C. Theodo. lib. 16. tit. 2. l. eccleſiaſtici, & l. nulla,uidere eſt. De quo reſcrip-

pto

to conqueritur S. Hieronymus ad Nepotianum de uita clericorum, ubi huius conſtitutionis odium in clericos potius quam in Imperatores refundit; & S. Ambroſius contra Symmachi relationẽ. Valentinianus iunior ſummus extitit libertatis eccleſiaſticæ impugnator, ut ex S. Ambroſio demonſtratum eſt, Eudoxã imitatus a qua impietatem imbibit, artes curioſas pertractauit, & earum habuit aſſiduam conſuetudinem, ut auctor eſt Grego. Cedrenus in hiſtoriarum compendio. Arbitror tamen ab hoc eam in epiſcopos conſtitutionem editam fuiſſe, cum in ea Arcadij & Honorij fiat mentio: quæ tamen a Maioriani poſteriori lege abrogata dicitur ab Aniano illius interprete. Sic etiam Sozomenus audiendus non eſt in hac parte, cuius notæ, vt ſæpe expreſſæ ſunt a Gregorio lib. 6. epiſt. 31. Sed ne ſolum in hac re huius hominis auctoritatẽ eleuare videamur, addendũ eſt, multa eius temporibus militibus fuiſſe conceſſa, quæ maxime eccleſiaſticam diſciplinam fœdarunt. Qualia ſunt, eruptiones armatorum hominum, iuſſu permiſſuq; Imperatoris in eccleſias factæ, multitudo Chriſtianorum per ſummam vim e templis eiecta, mulieres caſtæ ſuis ornamentis exutæ, ſacerdotes contumelioſe tractati ac cęſi, vt lib. 8. cap. 7. 21. & 23. diffuſe demonſtrauit. Quare illæ temporum iniuriæ in exemplum trahi non debent, vt inde conſtituantur iura, quæ eccleſiæ auctoritatem lædant.

Tandem vt noſtrũ penſum abſoluamus, diligenter admonendus eſt lector, vt ab illorum ſententia tanquã a ſcopuloſo & infeſto loco declinet: qui cũ maxime Pontificię auctoritati detrahant, plurimumque populo & Imperatori concedant, eo rem deduxerunt, vt ſolum Pontificem Romanum auctoritate potius quam imperio ditiones ſibi ſubiectas continere doceant. In qua re maxime multis ſcandalo fuere. Qui enim tollit imperium, neceſſe eſt vt gladii materialis poteſtatẽ tollat; in quo maxime Pontificis viget imperium, vt antea docuimus, & ex cap. 88. lib. 2. D. Auguſtini contra litteras Petiliani conſtat, & ha- 30

betur 23.q.3.ca.pro membris. niſi fortaſſe veterem illam querelam reuocet,in qua multum laboratum fuit tempore Frederici Enobarbi,ut refert Radiuicus lib. 1. cap. 10. & lib. 2.cap. 30. & Guntherus Ligurinus lib. 6. de qua re ſequēti lib. copioſe diſſeremus. Faciunt etiam inclementer qui Archiepiſcopo Mediolanenſi imperium tribuunt, ideſt,ius necis uitęque, cum illud a Romanis Pontificibus tollant:& ius ampliſſimum epiſcopis in ſingulis ciuitatibus concedant, quod tamen Romano Pontifici non concedunt. Diſcrimen vero inter auctoritatem & imperium maxime eccleſię auctoritatem lædere videtur, vt ex Ioanne Gilotto lib. 2. de iuriſdictione & imperio cap. 20.conſtat: ubi poteſtas executionem continere arbitratur,auctoritas uero confirmationem,qua actum geſtumq; nititur,quę etiam vim & robur,ac ius actui tribuit. Quare cum Pontifici Romano vtraque conueniant non decet hæc ita diſtinguere, cum inde illius dignitas deprimi uideatur.

C A P. XIII.
Quæ ſint animaduerſionum genera, quæ ab eccleſia exerceri poſſint.

S V M M A R I V M.

1 *Commonitiones & pœnæ quod ſit diſcrimen & earum uſus varius.*
2 *Commonitio eadem eſt cum correctione fraterna,cuius ordo explicatur.*
3 *Qui corrigendus eſt primum debet edoceri, vt ab eo omnis cæcitas expellatur.*
4 *Poſt correctionem iniungendam eſſe pœnitentiam,ex Chriſti verbis Matth.18. deducitur.*
5 *Duo vel tres in ſcriptura quid ſignificet.*
6 *Qui corrigebantur,ſi monitis duorum vel trium non parebant,eccleſiæ erant denuntiandi.*

Quo

7 *Quo pacto in omnibus ſynodis peccatorum cauſſæ agerentur, & quæ inquiſitiones fierent.*
8 *Diſcrimen maximum eſt inter accuſationem, & inquiſitionem.*
9 *Formula accuſationis, atque iudicij publici ab Apoſtolo præſcripta.*
10 *Præter excommunicationem in vſu fuiſſe corporales pœnas, quas epiſcopi pro criminum qualitate imponebant.*
11 *Traditionis Satanæ pœnæ corporales ſucceſſerunt.*
12 *Præter excommunicationem quæ fuerint pœnæ temporales.*

SVperioribus capitibus ſatis diffuſe demõſtratum eſt debere in catholica eccleſia magiſtratus exiſtere; quorum auctoritate, non ſolum ſcelera arcerentur, ſed etiam ſcelerum artifices pœnas flagitijs pares rependerent. Nunc agendum eſt de animaduerſionum generibus, quibus iniuriæ vindicantur, vt ex his aperte magiſtratuum vim atq; coactionem agnoſcamus. Quæ plane diſputatio ex media Platonis academia in noſtrum inſtitutum deducenda eſt, vt facilius rem ſatis per ſe ipſam difficilem illuſtremus. Plato omnium philoſophorum facile princeps in Gorgia, quē ſecutus eſt Taurus philoſophus in eius commentarijs, quamquam paululum mutata ſententia (vt refert A. Gellius lib.6. cap.14. & Iſocra. in Panegyrico, & Soſipater in epiſtolis, teſte Stobęo ſermone 44.) animaduerſionum genera ad duo tantum capita retulit. Vnum eſt commonitio ſiue νουθεσία, quæ corrigendi & emendandi cauſa adhibetur, vt is qu i deliquit cautior & attentior fiat: alterum vero eſt vindicta, ſiue publica pœna ad publicum hominum exemplum inſtituta, vt ceteri a ſimilibus flagitiis, quę prohiberi publicitus intereſt, metu pœnę deterreantur. Quorum hic eſt vſus. Quando ſpes magna eſt, vt is qui peccauit citra pœnam, aut vltro ſe corrigat, & dignitatem proximi in quam eſt peccatum tueatur, vt inde nullus proximi contemptus, nulla iactura dignitatis fiat; tunc 1

admo-

admonitione vtendum eſt. Sed ſi proximi dignitas immi nuta, honor publice detractus, bona ſurrepta; tunc pœnę publice imponendæ ſunt reo, ne flagitioſorum hominum exemplo boni ciuium mores corrumpantur. Quæ plane Platonis ſententia quammaxime refert ad eccleſiæ diſciplinam indicandam, cum in eccleſia Dei, quæ columna & firmamentum veritatis eſt, nonnunquam ſeueritatis diſciplina exerceri, tum homines in ſcelera dilapſos admo nitione reuocare, quandoque etiam iniurias ciuibus impoſitas publice vindicare oporteat. Etenim quæ in omni bene conſtituta Republica cautio adhibenda eſt, hęc etiã maxime in eccleſia ſeruari debet, quam Chriſtus legislator & Doctor præſcripſit his verbis: *Si peccauerit in te frater tuus*, ideſt, vel te præſente peccantem videris, vt Origenes homil. 2. in Leuit. interpretatur; vel contra te, quando peccati contagio in reliquum corpus peruadere poteſt, *corrige eum inter te & ipſum ſolum.* *Matt. 18.*

2 Primum.n. antequã malum hoc latius ſerpat, ſi criminis auctor publice manifeſtus non eſt, monendus & exorandus erit, vt a peccatis deſiſtat, vt eius delicti mole depoſita, ad optimam frugem quaſi ad viam redeat. Si vero noſtris precibus non accedit, alij adiungendi ſunt ſocii, aliis etiam hęc cura imponenda, vt eamdem ſententiam multis rationibus oſtendant, iterum atque iterum inſtent, admoneant, deprecentur; vt ſi tãdem monitis eorum peccator non pareat, ipſorum teſtimonio, publico eccleſię iudici deferatur. quod eleganter Iuuencus lib. 3. his carminibus expreſſit:

Tunc alius pariter monitor pia iuſſa frequentet,
Vt ſi decutiat Doctorum frana duorum;
Tunc ad Concilium referantur crimina plenum
Vt populi tandem ſanetur pondere victus.

Quam emendandi formulam concilium Nicænum can. 79. ut refert Franciſcus Turrianus vir pietate & eru-

 ditio-

ditione ſingularis prẹſcripſit his uerbis: *Quicumque ab eccleſia aliquid indignum faciat, adhibebitur ei remedium per exhortationem & diligentem admonitionem, dum non eſt manifeſtum quod facit, & non perſeueret in eo, & diſcedat a via ſancto rum Dei, eorumque conuerſatione, imponaturque ei pœnitentia prout conueniat; quod ſi pœnitentia & exhortatione non emendetur, ſeparetur a communione fidelium, & tamquam membrũ putre abſcindatur, ne contagio in reliquum corpus peruadat.* hęc ibi. Quem etiam ordinem S. Leo 1. epiſtola 84. & Nicolaus primus Pontifex Max. in reſponſione ad conſulta Bulgarorum cap. 18. demonſtrauit.

Sed cum multi ex rerum ignorantia peccẽt, pri us edoceri debent, vt ait Photius in ſcholiis Euangeliorum, ut videant turpitudinem facti, & pulſa cęcitate & tenebris, commiſſum crimen agnoſcant. Qua de cauſſa B. Paulus ad Titum 3. admonebat, *hæreticum hominem poſt vnam*, ſolum, vt legit Tertullianus lib. de præſcriptionibus hęreticorum, cap. 16. & S. Cyprianus epiſt. 55. & lib. 3. teſtimoniorum ad Quirinũ, cap. 48. & S. Pacianus epiſtola 1. & S. Ambrobus lib. 5. de fide c. 1. & S. Auguſtin. epiſtola. 162. *vel vnam aut alteram*, vt fere omnes Gręci patres, & vultigati codices legunt, vel tertiam correctionẽ ſiue νουθεσίαν idest, doctrinam, & mentis inſtitutionem, ut legit Ruffinus in Apologia, quam nomine Pamphilij pro Origene edidit, & Irenęus lib. 1. cap. 13. fugiendum deteſtandumq; eſſe. Hanc vero tertiam admonitionem in eccleſiæ vſu olim fuiſſe S. Cæleſtinus Papa in epiſtola ad Neſtorium docuit his verbis: *Poſt vnam, & alteram, & tertiam admonitionem hæreticum ab impia mente reuocatum; cum tandem eccleſiæ monitis parere noluiſſet, a cetu fidelium præſcriptum*. Ex his vero admonitionibus, citationes quę fiunt iudicij ordine ſeruato, originem duxerunt: quibus ſępe hęretici ad publicos magiſtratus vocabãtur. quod ex ſynodo Epheſina tom. 2. cap. 3. ſatis liquet, vbi Iuuenialis patriarcha Hieroſolymitanus ita locutus eſt: *Quamuis eccleſiaſticæ ſanctiones ſat eſſe ſtatuant, ſi rei ad diluenda crimina tertio citentur;* 3

nos

nos tamen ex quadam benignitate Neſtorium quarta citatione admonere & prouocare parati eramus, niſi ſatellitum turmæ quæ edes obſeſſas habent, impedirent. Sed gręca vox νουθεσία, nihil tam proprie meo arbitratu ſignificare uidetur; quam correctionem, doctrinam, cõmonitionem, & inſtitutionẽ vitę, ut quiſque cautior & attentior fiat. Quod ex aureis carminibus Pythagoræ, & ex uocis etymologia docuit Clemens Alexandrinus lib. 1. pędagogi, cap. 10. eſt enim νοῦ ἐνθηματισμὸς idest, mentis immiſſio, & increpatoriũ genus, quod mentẽ pariat. qua quidẽ voce ſępe vſus eſt Paulus, primum *Acto.20.Non ceſſaui*, inquit, *diu noctuque admonens vnumquemque veſtrum*. νουθετῶν, ideſt, reuocans uobis in mentem id quod factu opus eſſet. & ad Romanos 15. plenos omni ſcientia eos appellat, *qui poſſunt alterutrũ monere*. νουθετεῖν, corrigendo docere. eſt enim proprie νουθεσία, parentum admonitio, obiurgatioque, qua adoleſcẽtuli cauti fiunt. ſic 1. ad Corinth. 4. *Hæc ſcribo vobis, vt vos tamquam filios chariſſimos moneam* νουθετῶ. & 1. ad Cor. 10. & ad Epheſ. 6. eadem prorſus vocisſignificatio in aperto eſt: *Patres*, inquit Paulus, *educate filios veſtros in diſciplina & correctione* νουθεσίᾳ, ideſt, admonitione inſtitutioneque uirtutum, ut illi Dei opera cognoſcant. Hanc plane inſtitutionẽ in hęreticorum cõmonitione ſeruandam eſſe, ſi ſpes magna ac pene certa eſt, eos noſtris admonitionibus depoſituros errorem, Paul. 1. ad Theſſal. 5. docuit: *Corripite inquietos*, νουθετεῖτε ἀτάκτους. Quem locum Cyprianus, epiſtola 55. de hæreticis interpretatus eſt, ut ex 2. ad Theſſalon. cap. 3. conſtat: *Denuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre inordinate* ἀτάκτως *ambulante, & non ſecundum traditionem quam acceperunt a nobis*. Et paulo poſt: *audiuimus inter vos quoſdam ambulantes in quiete*, ἀτάκτως. Hos uero hęreticos eſſe, qui intra militię catholicę ordinem ſe ipſos continere nolũt, ſatis ἀτακτεῖν uerbi ſignificatio explicat: eſt enim uerbum militare, ſignificatque extra militię ordinem ſe ponere, uel tumultuari, ut ait Gloſſarium. Quod faciunt hę

retici fidei deſertores ac religionis transfugæ, qui ut ſe ab eccleſiæ caſtris ſubducant, defectionem moliuntur. ſignificat preterea uerbum ἀτακτῶ ornatum noſtri corporis inuertere aut commutare, unde ἀταξία enormitas dicitur. quod plane uitium familiare eſt hęreticis, qui omnes eccleſiæ gradus perturbant, commutant, inuertunt. Solent enim, ut ait Epiphanius hęreſi. 59. calceos capiti imponere, & pedes pileo, aliiſque capitis ornamentis ueſtire, ut omnibus pro ridiculo habeantur. Quamobrem primum hęretici edoceri debent, ut mentem deponant, ſi ſpes ſit maxima; idque ex Pauli pręſcripto 2. ad Ti. 2. ubi pręcipit: *Seruum Dei cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt ueritati, ſi quando Deus det illis pœnitentiam & reſipiſcant a Diaboli laqueis.* corripientem παιδεύοντα, ideſt, coarguentem & edocentem, ut ex S. Chryſoſtomo, Hieronymo & aliis docuit Ioannes Quintinus in notationibus ad Tertulliani librum de præſcriptionibus. Ergo in correctione neceſſe eſt primum homines erudiri, & ad ſcelus fugiendum pręmoneri, ut ſi forſan quod plerumque fit, rerum ignoratione laborent, reſipiſcant, & ſcelus perpetratum deteſtētur. Sed tumidi & faſtuoſi homines, qui uix ac ne uix quidem ab errore quem arcte complectuntur deſiſtunt, acerbioribus obiurgationibus coarguendi, conuitio & pœna increpandi & puniendi, ut ab eis eripiamus errorem, quem ſemel animo imbiberunt. Hanc Clemens Romanus lib. 2. cap. 37. pręſcripſit legem, quam ex uſu verbi ἔλεγξον, ideſt, argue, quo uſus eſt Matthæus, confirmare poſſumus. ſignificat enim redarguere, conuincere, & ab inſtituto depellere; cum noſtrum ſtudium eo referatur, ut peccantem fratrem ab errore auertamus. Sic Paulus ad Titum 2. *Hæc loquere & exhortare, & corripe cum omni imperio.* ueritatem primū docere, mox admonere ut eam amplectantur, tādem corripere iuſſit, cum omni imperio; ideſt, coarguere, & conuincere, μετὰ πάσης ἐπιταγῆς ſecundum omne imperium, ſecundū omnē pręcipiēdi facultatē. ergo cum omne imperiū exercendū docuerit Paulus, nihil nō facien-

faciendum,nihil omitẽdum præcipit,ut peccatores a peſ-
ſima mẽte depelleremus. Hinc Lucifer hoc Pauli teſtimõ
nio ſe ipſum tuetur,quod Imperatorẽ Conſtantiũ multis
cõtumeliis oneraſſet, ut animũ a recta fide abalienatũ pro
bris & conuitijs, ad veram fidei diſciplinam reduceret.
4 Sed eſto frater deteſtatus fuerit peccatum,ſtatim apud
Matt.cap.18. conſtituit Chriſtus pænitentię,ideſt,confeſ
ſionis legẽ, ut reus, peccatorũ quibus erat obnoxius, ve-
niam aſſequatur. Qua de cauſſa intulit Chriſtus vno con-
textu: *Si duo veſtrum conſenſerint in nomine meo,ibi ego ſum.* Matth.18.
Conſentit reus,quando a ſacerdote recitata peccatorum
ſerie,veniam magno cum dolore deprecatur,conſentit ſa
cerdos,quando beneficium abſolutionis impendit,ambo
conſentiunt,quando ad oris confeſſionem inter duos ce-
lebrandam in vnum coeunt locum, ad Chriſti voluntatẽ
7 compoſiti.Ita S. Baſilius in regula breuiori 15. & 225. &
261. hunc locum interpretatus eſt his verbis: *Ipſa tracta-
tio declarat Chriſtum de peccatore & ſacerdote verba fe-
ciſſe: nam cum Deus nolit peccatoris mortem,ſi is qui reprehen-
ſus eſt animo compungatur, & conſentiat ſcopo redarguentis,
de omni re, ideſt, omni peccato, cuius petierit remiſſionem, da-
bitur ei.Sed ſi is,qui reprehenditur non conſentit cum obiurgan-
te, non fiet peccatorum remiſſio,ſed litigatio*. In eadem etiam
eſt ſententia idem Baſilius in regulis breuioribus 78. qui
locum Pauli ad Galat. 6. interpretatus, reos criminum a
ſacerdotibus per confeſſionem ſubleuandos eſſe affirma-
uit. & S. Clemens lib. 2.conſtitutionum, vbi cum lenita-
tem ſacerdotũ in ſacramento pęnitentiæ adminiſtrando
traderet, peccatorem per confeſſionem ſarcina exoneran
dum,& depreſſum pondere erigendum docuit.Ita B. Pa-
cianus epiſcopus Barchinonen. in epiſt. 3. locum Matth.
18. de duobus ſcilicet confitente & ſacerdote confeſſio-
nem audiente,interpretatus eſt; & Gregorius Nazianze
nus oratione de modeſtia ſeruanda: *Habes medicinæ regulã,
Chriſti diſcipulus es mitis & humani, infirmitateſque noſtras
portantis. Si primum obluctetur, leniter expecta; ſi ſecundo, ne ani*

mum

mum deſpondeas, nondũ enim curationis tempus effluxit; Si ter
tio, benignum illum & humanitate præditum agricolam immi
tare, Dominum adhuc precare, ne infructuoſam & inutilem ficũ
excidat, atque odio habeat; verum conuertat, & curet, & ſtercus
injiciat, hoc eſt, eam correctionem, quæ peccati confeſſione & ma-
nifeſta pudefactione, atque ignominioſiori uitæ ratione conſiat.
Quis ſcit an mutabitur, ac fructum feret, Ieſumque a Bethania re
deuntem alet? Tu qui ſpirituali illo unguento arte unguentaria
confecto, delibutus es, fraterni fœtoris non nihil perfer, ſiue ue-
rus ſit fœtor ille, ſiue ita tibi uideatur, ut ipſi uiciſſim boni tui odo
ris aliquid impertias. hæc ille. Tandem Angelomus in cõ-
mentariis lib. 1. Reg. cap. 2. & 13. correctionem eo inſti-
tuto faciendam eſſe cenſet, ut prauis pœnitentiæ dolo-
rem ingeramus, & eorum conatus infringamus, & labefa-
ctemus.

Sed bene haberet, ſi omnes peccatores admonitioni- 5
bus locum relinquerent, eiſque perſuaderi poſſent. At ve-
ro cum multi ſint nimium proterui & procaces, qui neque
precibus, neque admonitionibus à ſuſcepta ſententia de-
pelli poſſunt: tunc ij ad eccleſiam deferendi ſunt. Et quam
quam a B. Chryſoſtomo, Auguſtino, S. Thoma, & aliis pa-
tribus eccleſię nomen vere de paſtore & præfecto eccle-
ſiæ intelligatur: olim tamen epiſcopi etiam concilio ha-
bito ſacerdotum, & cum inferiorum presbyterorum aſſen
ſu ſententias ferebant. Quod ex Paulo ad Titum primo ſa
tis liquet, vbi præſcribit, epiſcopum non eſſe ſuperbum,
μὴ αὐθάδη, ideſt, conſilium ſuæ eccleſiæ reſpuentem, ac fu-
gientem, contumacem, atque perfractum; ſed modeſtum
& inferiorum iudicium conſulentem, vt ex Chryſoſtomo
lib. 1. de ſacerdotio, & ab Origene tract. 12. in Matthęum
cõſtat. Quod etiam ex eiſdem Chriſti verbis agnoſcemus.
Nam poſtquam contulit Apoſtolis poteſtatem remitten-
di peccata per confeſſionem audita, ſtatim auctoritatem
conciliorum eodem contextu commẽdauit, annuens non
a ſolis modo epiſcopis, qui id iure optimo poſſunt, ſed etiã
quandoque in ſynodo excõmunicandi ſententiã in pecca-

tores

tores multis criminibus obnoxios, fieri poſſe: *Vbi*, inquit, *duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum ego.* Ex quo loco ab omnibus Patribus Conciliorum auctoritas comprobatur, quæ ſemper penes eccleſiæ caput exiſtit, & eorum firmitas & certitudo colligitur: cum tanta ſit Chriſti potentia, tanta benignitas, vt ſi duo vel tres eius nomine fuerint congregati, ſtatim ipſe vt ſocius, & vt iudex aſſiſtat.

6 Duo vel tres numeri paucitatem ſignificant, vt ex aliis ſcripturæ locis agnoſcimus 4. Reg. 9. *Inclinarunt ſe duo vel tres eunuchi*, ideſt, pauci. & 3. Reg. 17. *Colligo*, inquit mulier, *duo ligna*, ideſt pauca. & primæ ad Corinth. 14. *Prophetæ duo vel tres dicant, ceteri diiudicent*, ideſt, dicant nonnulli, ne Doctorum multitudine auditorum animi monitis obruantur: ſic & Chriſtus vt diſcipulorum auctoritatem non ex multitudine & numero ſed ex virtute & auctoritate commendaret, duo vel tres nominat, quos ſua præſentia cohoneſtare pollicetur: *ibi*, inquit, *ſum ego*, ideſt, accedam ad veſtram ſentẽtiam, veſtris decretis acquieſcam, atque ſubſcribam: abſcindite eum qui vobis parere noluerit, tanquã ethnicum & publicanum: nam ego in medio veſtrũ ſum, veſtræ ſententiæ approbator atque laudator. Ita docuit B. Cyrillus in epiſtola ad Anaſtaſium, quæ in tom. 2. concilij Epheſini habetur: *Patribus noſtris in ſynodo Nicæna congregatis Chriſtus aſſedit, qui dixit, vbi duo vel tres fuerint congregati, ibi ſum in medio eorum. Nam quod præſiderit inuiſibiliter ſanctæ & magnæ ſynodo, vbi Arius damnatus eſt, quomodo ambigetur?*

Quare ab eccleſia, ideſt ab eius capite, vel a ſynodo vna cum capitis auctoritate exterminatur reus & excluditur, vt Paulus 1. ad Corint. 5. docuit his verbis: *Congregatis vobis & ſpiritu meo cum virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti, jam iudicaui vt præſens, tradere hunc hominem Satanæ.* Fert hoc loco ſententiam Paulus in Corinthum vt adulterum ſeuero excommunicationis gladio detruncaret, eamque fert cum virtute Domini noſtri Ieſu, ne odio humano (vt ait

Occu-

Oecumenius)fieri videretur,ſed Chriſti auctoritate atque ſententia. Idem retulit Tertullianus in Apologetico cap. 39. &ordinem corrigendi peccata in ſynodo ſeruatum, eleganter deſcripſit: *Congregatis adhibentur exhortationes, & cenſura diuina ; nam & iudicatur magno cum pondere, & apud certos de Dei conſpectu,ſummumque futuri iudicij præiudicium eſt : ſi quis ita deliquerit,vt a communione & conuentu & oratione relegetur, præſident probati quique ſeniores, honorem non pretio ſed teſtimonio adepti.* Hæc Tertullianus.

At vero in omnibus ſynodis, quarum olim ſumma erat frequentia, peccatorum cauſſas peragi, & mores difficiles atque ægre tractabiles in concilio emendari:(neque enim ob leuia quæque peccata quiſquam tanquam publicanus & ethnicus habendus eſt, vt ex Origene tractatu 6.in Matthæum colligi videtur)Baſilius q.54.diffuſè tradita, & Iſidorus Hiſpalen. libr. de initianda ſynodo,demonſtrarunt. qui locus Iſidori cum multis in partibus eſſet corruptus,ex vetuſtiſſimis duobus exemplaribus Longobardis in priſtinum nitorem reſtitui . vbi cum epiſcopus clericos admoneat,vt omni cum pietate diligenter & prouide eccleſiaſtica negotia curent, ait : *Deinde vos ſimili obteſtatione coniuro & obſecro,vt nullus veſtrum in iudicando fratrem ſuum,aut perſonam accipiat,aut quolibet fauore & munere pulſatus,a iuſto iudicio ſcienter auocetur,aut diſcedat. Sed cum tanta pietate fraternæ dilectionis & cum Dei timore libenter nobis adhibeatis ſtudium , quatenus per noſtram doctrinam & ſanctã admonitionẽ , peccata,errores,prauitates filiorum noſtrorum,quæ in Ciuitate noſtra , vel parochia veſtra fuerunt,Dei auxiliante miſericordia,ad correctionis emendationem perducere valeamus.* hæc ibi. Mox in eadem ſynodo ab ipſiſmet parochis , vel presbyteris probatiſſimæ vitæ,qui teſtes ſynodales dicebantur,epiſcopi hominum peccata perquirebant, vt ſubditorum deprauatos mores emendarent.Quod in decreto S.Eutychiani Papæ ca.9 præſcriptum,& a Burchardo lib.1.decretorum cap.91.copioſe recitatis 44.interrogationibus, quæ in ſynodo habebantur, delato iuramento,demonſtratum; & etiam

tiam ab Innocentio III. in concilio Lateranenſi cap. 8. traditum eſt: quod maxime veteri diſciplinæ conſentaneum fuiſſe S. Ioãnes Climacus in oratione de officio paſtoris, eleganter expoſuit. Quare cum inquiſitiones & correctiones ad fratrum emendationem referantur, conſulto ab epiſcopo fieri poſſunt, nec ſemper eſt expectanda ſynodus, ſiue concilium, vt quam primum peccatorum vulnera medico pateant, & reus criminis a morte liberetur: *Nam malitia occulta morbus putris eſt animi*, vt ait Eccleſiaſt. cap. 25. In quibus ad ſolam commonitionem, & non ad pœnã, niſi ita publicum eſſet crimen, vt celari non poſſet, procedendum eſt. Quod plane conſultiſſimum eſſet, hoc tempore in ſynodis diœceſanis diligenter animaduertere, cum correctio fratrũ ita ab aliquibus negligatur, vt nihil aliud præter nudum fere nomen audiamus. conſulendus erit Baſilius in quæſtionibus diffuſe traditis 46. & 49.

8 Sequitur iam, vt de coactione & pœna ob publicum hominum exemplum inſtituta differamus. Innocentius III. in concilio Lateranenſi cap. 8. maximum conſtituit diſcrimen inter accuſationem & inquiſitionem; cum hæc ad proximi emendationem, illa ad capitis pœnam referatur: etenim inſtituitur accuſatio ad capitis diminutionem, ac propterea nulli poteſt pœna imponi, niſi inſtet accuſator, qui ſi non probet factum, talionis pœnæ ſubiaceat. Quare cum in eccleſia præter fratrum admonitionem etiam accuſationibus locus pateat, cum ex Pauli doctrina fuerint inſtituti prȩſides, qui dirimere controuerſias, falſas criminationes depellere, & ex formula præſcripta ab Apoſtolo, iudicium ferre poſſent; neceſſe eſt fateamur has accuſationes puniendorum maleficiorum cauſſa repertas, pœnis terminari: quod fiet cum ſine inuidia culpa plectitur, & ſine culpa iniuria vindicatur.

9 *Aduerſus presbyterum*, ait Paulus prima ad Timoth. 5. *accuſationẽ noli recipere, niſi ſub duobus aut trib. teſtibus*. ecce prȩſcripta iudiciorum formula: *Noli recipere*, inquit, *accuſationem*, tu qui prȩes ſtlitibus iudicãdis, niſi cum hac nota iudi-

 cium

cium committas. Si enim abhorreas ab hac formula, qua presbyteri iudicium includitur, dolo malo ages, & tua ſententia non ſtabit. quod Hermas Lematius lib. 7. de inſtauranda veteri religione explicauit. Hic namque probationis modus adhibitis duobus vel tribus teſtibus, cum in omnibus cauſſis teneri, vt ex Deut. cap. 17. conſtat, vel maxime in presbytero, vt ait Theodoritus, cui pręfectura eccleſiæ credita eſt, ſeruari debet. Quamobrem obteſtatur Paulus, cum iudicem eccleſiaſticum inſtitueret, vt *hæc cuſtodiat ſine præiudicio, nihil faciens in alterutram partem declinando.* Graue namque crimen eſt perſonarum acceptio, pręſertim in iudiciis, ex quibus ſæpe iudices gratiam ſibi procerum conciliant. Graue etiam illud, quod a diuitibus committitur, cum lites & controuerſias excitant, teſte B. Iacobo cap. 2. vt pauperes opprimant: vtrumque tamẽ crimen
1. Tim. 5. effugiet iudex, ſi ea quæ præſcripta a Paulo ſunt, cuſtodiat ſine pręiudicio, vel vt habet Codex græcus χωρὶς προκρίματος, ideſt, ſine aliqua anticipatione iudicij, vel vllam in partem temere impingat, vel μηδὲν κατὰ πρόσκλησιν, ideſt, non habita vnius partis tantum ratione, aut animi propenſione ferat ſententiam. Quod etiam a S. Clemente libr. 2. conſtitutionum cap. 47. cautum eſt, vt ſeruata æquitatis ratione iudicetur.

In his tamen iudiciis eccleſiæ non ſolum excommuni- 10
cationis pœna imponebatur, ſed etiam mulctę pecuniariæ & corporales pœnę irrogabantur ab epiſcopis. Enimuero ſi ſolam excommunicationem eccleſiaſticam pœnam exiſtimes, eamque ſolam ab epiſcopis peccatis omnibus imponi poſſe cenſeas, in eas anguſtias redigemur, vt omnia peccata, ob quę flagitioſi homines excõmunicationis cenſurę addicuntur, ęqualia eſſe dicamus; quod Chriſti doctrinę non conſentiet, aut ſi aliqua aliis grauiora ſint, etiam alias pœnas pręter excommunicationẽ olim impoſitas fuiſſe, fateri oportet: vt pro qualitate peccatorum pœnarum etiam modus exiſtat. quod Martinus ab Aiala Valentinus archiepiſcopus, lib. de traditionibus apoſtolicis eadem ratione

tione comprobauit. Nam ſi Paulus ſeriem peccatorum deſcribens, 1 ad Corinth. 5. his omnibus ſolam excommunicationis pœnam iniunxiſſet, non exhorruiſſent homines grauiora peccata, ſacrilegium, homicidium, blaſphemiam, cum ob minora eadem excommunicationis pœna irrogetur. Nam abſtentus, vt ait Cyprianus epiſt. 38. & excõmunicatus maiori excommunicatione ob fornicationem, dũmodo iuſte ſententia epiſcopali damnetur, æque a communione fidelium, & ab eorum congreſſu prohibitus eſt, ac ſi ob adulterium, vel ſtuprum fuerit excluſus. Quare temporalibus pœnis etiam afficiendi erãt illi, qui grauiſſimis peccatis implicabantur; vt ſi ſaltem ſpiritualem pœnam contemnerent, temporalem pertimeſcerẽt. Quod ex Paulo 1. ad Corinth. 5. colligitur, *& vos inflati eſtis, & non lugetis, & non tollitis malum de medio veſtrum?* Vbi Apoſtolus vt pœnę magnitudinem exprimeret, quę iure perditiſſimo homini debebatur, gręca voce *ἐξαρθῇ ἐκμέσου* eſt vſus, ideſt, nõne expelletis & profligabitis e medio veſtrũ hũc hominẽ, nõne hoc malum euerruncabitis, ne cuipiam detrimento ſit? cuius rei ſenſum aperte Paulus ex tribus locis Moyſi in ſuam ſententiam tranſtulit. In quibus præſcripſit Moyſes, eum qui ludibria artium & opera manuum adorauerit, vel in ſacerdotem contumelioſus extiterit, vel proximum oppreſſerit inſidiis, tãquam malum eſſe tollendum, pœniſque mulctandũ vt cum malus & iniquus fuerit; morte ſublatus ex Iſrael, ceteri deinde ſimilia flagitia auerſentur. Sic Apoſtolus idem poſtulat fieri a Corinthiis, non plane vt gladium exſererent, quo inflatum illum adulterum tranſuerberarent, ſed vt a Deo precibus mortem ſceleſti hominis expoſcerent, vt cum inde mors fuiſſet ſubſecuta, omnes flagitium tamquam colubri faciem pertimeſcerent. Sed audiamus, quęſo, Tertullianum, in lib. de pudicitia de hac re diſſerentem his verbis: *Et quid vultis; veniam ad vos in virga an in ſpiritu lenitatis? quid enim ſuberat? auditur in vobis in totum fornicatio, & talis fornicatio qualis neque in gentibus, vt uxorem patris ſui quis habeat, & vos inflati eſtis, &*

non luxiſtis potius, vt auferatur de medio veſtrum, qui tale facinus admiſit? pro quo lugerent? vtique pro mortuo. Ad quem lugerent? vtique ad Dominum, vt quomodo auferatur de medio eorũ, non vtique vt extra eccleſiam detur. Hoc enim non à Deo poſtularetur, quod erat in præſidentis officio, ſed vt pro morte hanc quoque communem & propriam carnis ipſius, quæ iam cadauer, quod captiuum eſſet immunditia irrecuperabili tabioſum, plenius de eccleſia deberet auferri. Ergo non erat ſolum per excommunicationẽ ab eccleſia proiiciendus; ſed etiã precibus poſtulandum a Domino, vt malum ab eccleſiæ communione, morte ſceleſtis inflicta penitus tolleretur. Extat in prato ſpirituali Sophronij cap. 145. huius rei exemplum illuſtre, quod non pigebit huic diſputationi inſerere, vt omnes agnoſcant, ſæpe mortem temporalem ſacerdotum precibus propter peccata perpetrata ſceleratis inferri. *Gennadius Patriarcha cum Caritium clericum templi ſancti Eleutherij non ſolum paterna admonitione obiurgaſſet, ſed etiam eccleſiaſtica cenſura fruſtra corripuiſſet, ad beatum Eleutherium martyrem totam cauſſam retulit, ad quem ſic eſt locutus: Sancte martyr Eleutheri aut emenda Charitium clericum tuum, aut eum abſcinde: quæ cum dixiſſet, ſtatim clericus ſpirauit*: quod etiam refert Georgius Cedrenus in hiſtoriarum compendio.

Pręterea quid aliud erat ea traditio ſatanæ, cui duriſſimum imperium in peccatores exercendum committebat Apoſtolus ad interitum carnis, niſi abdicatio a conſociatione fidelium, ex qua detrimenta membrorum (vt ait Pacianus epiſ. 3.) iacturę grauiſſimę, interitus carnis, mors deniq; ipſa ſubſequebatur? Quod ex ſignificatione verbi ὄλεθρον colligitur, qua uoce pro cęde atque pernitioſo interitu 1. ad Timoth. 6. 1. Theſſ. 5. & 3. Reg. 20. vtitur ſcriptura. Vnde Tertullianus. lib. de pudicitia, cum demonſtraſſet per mortem ſceleſtum & inflatum eſſe ab eccleſia auferendum, ſubiungit: *Et ideo quomodo interim potuit auferri, iudicauit dedendum eiuſmodi ſatanæ in interitum carnis, quæ diabolo proijciebatur.* Sic Hieronymus in 1. ad 11

1. Cor. 5.

Co-

Corinth.cap.5. ait *Paulum tradidiſſe hominem ſatanæ, ut arripiendi illum corporaliter haberet poteſtatem*. Et paulo poſt: *Hic oſtendit Paulus eiectum extra eccleſiam rabido ore dæmonũ lacerari.* & epiſt. ad Heliodorũ de laude vitę ſolitariæ,idē affirmat. *Nunc inobedientes ſpirituali mucrone truncantur, aut eiectus de eccleſia rabido dæmonũ ore diſcerpitur*. Sic Chryſoſt. in cap. 2. pri. ad Timo. ait: *Olim excommunicatos in febrim incidere*. Cui ſuffragatur Theodoritus dicēs; *traditũ ſatanæ non tanquam magiſtro, ſed tanquam ſæuo carnifici proiici cruciandũ: cum ille ab eccleſiaſtico corpore ſeparatus, & diuina gratia exutus, ab aduerſario crudeliter flagellabatur, & in morbos & difficiles affectiones, & alias calamitates incidebat.* Quod ex epiſtola Apollinaris ad Toloſanos, cap. 23. aperte conſtat. Idem prorſus teſtatur S. Paulinus epiſcopus, in vita B. Ambroſij, vbi refert Stiliconis comitis ſeruum, viſibiliter ob excommunicationem a dęmone raptatum, & eius corpus diſcerptum & fœdatum fuiſſe, vt ex interitu carnis ſpiritus ſaluus fieret. Præterea dum a Pio epiſcopo Apſarenſi quidam excommunicatus fuiſſet, neque ſe ſacerdotalibus præceptis humiliare voluiſſet, vt ait Petrus Damianus epiſt. 2. repente fulmine ictus extinctus eſt. fulminibus vero peſſimos quoſque percuſſos ob ſcelera perpetrata, docet Gregorius Thaumaturgus epiſtola 1. canonica, can.6. & ibi Balſamon. Ad hæc Aimoinius lib. 3. hiſtoriæ cap. 31. teſtatur, Nantinum comitem Engoleſmenſem ab Herachio epiſcopo excõmunicatum, dum ardentiſſima vreretur febri, in hæc verba exclamaſſe: *Heu quæ tormenta ab Herachio illata patior, ipſe me nunc torquet, ipſius igne abſumor*. Quæ cum protuliſſet interiit oppreſſus dęmone. Sanctus Gregorius Turonenſis libro quinto hiſtoriæ capite trigeſimoſexto totum hoc factum vberius narrat his verbis: *Cum Nantinus domos eccleſiæ male peruaſiſſet, ſpoliaſſet, ac deieciſſet, ab epiſcopo excommunicatus eſt. Quæ dum aguntur, Beatus Pontifex impleto vitæ ſuæ curſu, migrauit ad Dominum. Natinus etiam morbo corripitur, qui nimia exuſtus febri, clamauit dicēs: Heu heu ab Herachio Antiſtite exu-*

ror

ror, ab illo crucior, ab illo ad iudicium vocor, cognoſco facinus, reminiſcor me iniuſte iniurias intuliſſe Pontifici, mortem deprecor, ne diu crucier hoc tormẽto. Hæc cum maxima in febre clamaret, deficiente robore corporis infelicem animam fudit, indubia relinquens veſtigia hoc ei ad vltionem B. Pontificis eueniſſe. Nam exanime corpus ita nigredinem duxit, vt putares eum prunis ſuperpoſitis fuiſſe combuſtum. hæc Gregorius. Sed poſt mortem excommunicatorum cadauera in horrẽdas formas, & varios colores trãſmutari, ex lib. vetuſtiſſimo M.S. eccleſię ſanctę Sophiæ Theſſalonicẽſis, quem citat Matthęus Blaſtares in Nomimo aperte cõſtat. Cum tanta ſit eorum corporũ impuritas, vt vix terra gremio ſuo illa contineat, ſed plerumque expungat & depellat; vt Manuelus Malaxus in vita Maximi Patriarchæ copioſa narratione proſecutus eſt, quam breuiter ſtrictimque complectar: *Nuntiatum fuit Sultano in eccleſia hanc eſſe poteſtatem, vt quotieſcunque Chriſtiani Pontifices legitime ob peccatum aliquod admiſſum, e ſacro cœtu aliquem eiiciant, neque dum in viuis ſunt excommunicati, illum lapſum propter quem eiecti fuerunt, expiare contendant: eorum cadauera nunquam a terra diſſolui, ſed remanere tympanorum inſtar inflata, integraque reſtare; etiam ſi mille anni elapſi fuiſſent. Quo miraculo audito Sultanus, iuſſit, vocato Patriarcha, de hac re diligenter inquiri. Itaque cum huc illucque cogitatione volueret Maximus Patriarcha, vbi nam excommunicati cadauer inueniri poſſet, tandem venit in mentem tempore Gennadij Scholarij Patriarchæ ſanctiſſimi fuiſſe mulierem viduam a ſacerdote relictam (& cum corpore haud obſcure vulgato queſtum faceret, neque obiurgationibus a ſcelere retrahi poſſet) a Patriarcha ex piorum grege eliminatã, atque anathemate percuſſam. Quæ poſt quadrageſimum diem dyſenteria diſſoluta eſt, nec poſt plures annos vnquam conſumpta, adeo vt ne crines quidem capitis eius defluxerint, ſed tympani more inflata, nigra & tumefacta remanſerit. Quod cum nuntiatum fuiſſet Regi, & ipſe miniſtros ad ſpectandum corpus tranſmiſiſſet, cohorruerũt, vimque excommunicationis admirati ſunt; hæc autem Anno Domini 1450. eueniſſe legimus.* Sæpe tamen ob maius hominum exemplum, excommunicatorum ca-

dauera a dæmonibus occupantur;& diſtorto vultu & ardẽtibus oculis amicis occurſant, aut vrbem timore complẽt, aut calamitatibus vexant:quod malum Græci,vt ait Mathæus Blaſtares,βουλκόλακα appellant.

12 Sed cum iam viſibiliter ſatanas rapere deſierit homines, & eorum carnem acerbiſſime cruciare, mox ab ipſis Apoſtolicis viris fuerunt maiorum exemplo, corporales pœnæ ſancitæ,quas in B.Benedicti ſanctiſſimi Apoſtolicę disciplinę æmulatoris regula,Apoſtolorum exemplo inſtitutas legimus:*Semper*,inquit,*Apoſtolica forma ſeruanda eſt,in qua dicitur: Argue,obſecra,increpa,ideſt,miſcens temporibus tempora, terroribus blandimenta, dirum magiſtri,pium patris oſtendat affectũ;ſed indiſciplinatos & inquietos debet durius arguere; obedientes autẽ & mites & patientes vt in melius proficiant obſecrare.Neglig ẽtes & contemnẽtes vt increpet & corripiat admonemus,neq; diſſimulet peccata delinquentium,ſed mox vt cœperint oriri,radicitus vt præualet,amputet;memor periculi Heli ſacerdotis in Silo;honeſtiores quidẽ atq; intelligibiles animos,prima vel ſecũda admonitione verbis corripiat,improbos autẽ & duros,ſuperbos vel inobedientes, verberum vel corporis fuſtigatione in ipſo initio peccati coerceat,ſciens ſcriptũ,ſtultus verbis nõ corrigitur.Et iterũ, Percute filium tuum virga,& liberabis animam eius a morte.* Ca.2.Reg. Sic Lucifer epiſcopus Caleritanus li.1.pro S.Athanaſio, hãc diſciplinæ formulam in Cõſtantium Imp.exercuit, quem his verbis inſecutus eſt: *Retineo quidem ſacris continens ſcripturis, noli ſuperbire coram Rege, ſed ſi intra terminos poteſtatis tuæ eſſe voluiſſes,& ſuperbus extitiſſem te contra,re vera ipſe me vt præuaricatorem legis condemnaſſem. Nunc vero quia homicidæ tibi & ſacrilego, ò Imperator, vera dicamus, non vtique tanquam ſuperbi puniri merebimur; ſed magis præmiis afficiemur æternis,quia tibi erranti non pepercimus. Scriptum eſt enim:Flagellum equo,& ſtimulum aſino,virgam autem genti inſipienti.* Præterea idem B.Benedictus cap.23.ſibi ipſi conſentiens,præter excommunicationem,corporalem vindictam & caſtigationem imponit his verbis: *Si frater contumax repertus fuerit, admoneatur ſemel ac iterum ſecrete a ſenioribus, ſi non emen-*

emendauerit publice; ſi vero neque ſic correxerit, excommunicationi ſubiaceat: ſi autem improbus eſt, vindicta corporali ſubdatur. & cap. 28. *Si frater frequenter correptus, ſi etiam excommunicatus non emendauerit, acerbior ei accidat correptio, ideſt, verberum vindicta in eum procedat. Quod ſi nec ita correxerit, nec ſanatus fuerit, ferro abſciſſionis vtatur Abbas, ut ait Apoſtolus. Auferte malum ex vobis: & iterum, ſi infidelis diſcedit, diſcedat.* Et quamquã B. Benedictus flagitioſos homines extra ſepta Monaſterij tamquã deportatos expellat, id tamẽ B. Baſilius in regula breuiori 57. non laudat. Neque enim incorrigibiles, & quaſi omni peccatorum genere obęratos ſuo arbitrio reliquit; ratus eis vtilius fore, pedes aut manus abſcindi, aut oculos erui, quam totum corpus acerrimo gehennę incendio abſumi. Quare pœnis grauiſſimis ſubiugandi ſunt nocentes, ne ſi prodeſſe ſibi non poſſunt; alijs detrimento ſint, cum modicum fermẽtum totam maſſam corrumpat, & ex leuiſſima ſcintilla ingens incẽdium excitetur. Quare merito carceres vindices ſcelerum ædificati ſunt, in quos nefarij detrudi, vinculis alligari, ferro & ligno conſtringi poſſent, vt iugum ſeruitutis quod ducebant cum infidelibus abijcerent. Id S. Ioannes Climacus cap. 5. docuit, uariaque pœnarum genera præſcripſit, quibus in reos deſæuire fuit ſolitum: & Burchardus lib. 16. decretorum per varia capita. Quę plane pœnarum genera ab epiſcopo ob excommunicationis contemptum imponi poſſe, docet Hoſtienſis cap. pro humani, de homicidio, lib. 6. cum hac pœna temporali non ſolũ clericos, ſed etiam laicos mulctare, & in eorum bona ſententiam ferre valeat; ut ait Dominicus cap. cum epiſcopus, de officio ord. lib. 6.

Quod plane variis exemplis conſtat: nam ſi ſæcularis princeps epiſcopum vel pro ciuili uel pro criminali cauſſa ad ſæcularem iudicem perduxerit, vel exhibuerit, qui hoc iubere fuerit auſus, amiſſione cinguli condemnatur a Bonifacio Romano, in epiſtola ad epiſcopos Galliç. Cinguli vero amiſſio pœna eſt tẽporalis, qua milites ſuo officio

cio deponuntur, vel dignitate excidunt. Quod aperte ex Nicephoro Calliſto lib. 13. cap. 30. conſtat, vbi iuſsiones Imperiales referens, inter alias pœnas hãc vnam de amiſsione cinguli conſtitutam fuiſſe teſtatur, his cõceptis verbis. *Si quis Epiſcoporum cum Theophilo Attico Porphyrio communicare noluerit, extorris Eccleſia eſto, & facultatibus priuator, ex laicis autem ſeu popularibus, qui magiſtratus gerunt dignitate excidunto, milites cingulos deponunto, vulgus & opifices auro mulctati exilio damnantor*. Hac vero pœna mulctatum fuiſſe Ludouicum Imp. Caroli filium, Robertus Gaguinus, & Trithemius in chronico Hirſaguẽſis monaſterij, memoriæ prodidere. Fuit enim ob Iudith, quam in vxorem acceperat à Synodo coniectus in monaſterij arctam cuſtodiam, & militari cingulo exauctoratus, vt ipſe Ludouicus apud Gaguinum lib. 4. conqueritur: mox cauſa cognita, im perio reſtitutus, & iterum baltheo militari, auctoritate epiſcoporum accinctus. Gregorius etiam publicam fuſtiũ pœnam, exilij atque deportationis in clericum calumniatorem conſtituit, cap. 1. de calumniatoribus. Quo vergit & illa Vrbani III. conſtitutio proſcriptionis exilijq. reorum comprobatoria, cap. ad audientiam de crim. falſ. Neque ab his longe recedit Alexandri III. reſcriptum, quo Panormitanus Pontifex iubebatur loris flagriſque cædere criminis peractos, eo ſolo temperamento adhibito, ne flagella in ſanguinis effuſionem exirent. Quod etiam fuſius exequitur Innocentius IIII. in cap. qualiter & quãdo de accuſatio: cum turpe eſſe videatur clericos qui ad altaris miniſterium, & noui teſtamenti ſacerdotium delecti ſunt, ſanguinis pœna mulctari, vt S. Thom. 2.2. q. 64. art. 4. docuit. Vulgo etiam perpetuis vinculis plectuntur Sacerdotes, ex Bonifacij conſtitutione cap. quamuis, De pœnis. Licet Eugenius II. Pontifex inſtituiſſe carceres, & cuſtodias ad delicta cohibenda dicatur. Sed monaſtica incluſio cum parum aut nihil videatur differre à cuſtodia carcerum, vetuſtiſsima fuit in Eccleſia, vt ex Concilio Agathenſi cap. 50. & in canone ſi Epiſcopus 50. diſtinct.

Hæc quoque eadem pœna indicta fuit à Iuſtiniano nouel. 134. adulteræ mulieri, & à S. Gregorio lib. 1. regeſti epiſt. 42. Vnde Blanda Caroli Pulchri coniux adulterij conuicta in perpetuam conijcitur cuſtodiam monaſterij. Hæc ſatis ſit hoc loco dixiſſe: cetera ſequenti diſputatione proſequemur. Quę omnia Romanæ Eccleſię iudicio & auctoritati ſubdunto.

LIBRI PRIMI FINIS.

INDEX

INDEX VERBORVM ET SENTENTIARVM QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

ACcuſatio & inquiſitio differunt. 201
Accuſationis forma ab Apoſtolo preſcripta. 201
Accuſatio adhibitis teſtibus fieri debet. 202
Admonitio quæ dicatur. 192
Admonitio quando adhiberi debeat. 193.
Admonitionis vox & etymologia. 195.
Admonitione quî vtendum. 193
Admonitione vna altera & tertia quî vtendum. 194
Adulatio maximum malum eſt in eccleſia. 57
Aegyptij ſacerdotes iudices erant controuerſiarum. 156
Aethyopiæ ſacerdotes de vita Regū diſponebant. 157
Agni quo pacto paſcendi. 5
Alfonſus Rex diuina vindicta correptus. 143
Alienigena nō poteſt eſſe Rex Chriſtianorum. 177
Ambroſius pro altaribus immolari deſiderat. 138
Ambroſius Nabothi imitatus. 158
Amphianus martyr in prætorem irruit. 184
Anaſtaſius Imper. fulmine interemptus. 140
Angliæ calamitates. 143
Anima eſt efficiens, finis, & forma. 175.
Anima quid ſignificet apud Paulum. 130
Anteceſſor quid ſignificet. 70
Antichriſti aduentus, ſigna certiſſima. 36
Apoſtaſia quid ꝓpriè ſignificet. 36
Apoſtoli
Leonibus ſimiles fuerunt. 38
Reliquiæ Iacob dicuntur. 38
Tanquam leones eccleſię aduerſarios proſternunt. 39
Dicuntur tanquam caminus & tanquam fax ignis accenſa. 39
Plauſtro nouo trituranti, habenti roſtra ſerrantia comparantur ab Eſaia. 39
Eorum auctoritate regna multis peccatis obnoxia diſſipata. 45
Vt Euangelium euulgarent œconomia vſi fuerunt. 55
Ad mores hominum ſe ipſos demittebant. 56
Manſuetudine vſi fuere. 56
Chriſti præfecturam gerunt. 58
Poteſtatem habuere imponendi grauiſſimas pœnas. 67
Summa poteſtate ad eccleſiæ ædificationem vtebantur. 67
Eis non totus orbis vt in eo præeſſent, ſed pars contigit. 72. 73
Illis ex Petri aſſenſu prouinciæ creditæ fuere. 73

Gladij vſus an fuerit illis interdictus. 82.83
Aliorum anteceſſores dicuntur. 70
Omnem poteſtatem neceſſariam gubernationi eccleſiæ habuerunt. 16
Omnem impietatem profligarunt. 22
Ipſis in Vrbe martyrio coronatis, minui cœpit imperium. 51
Appellare non licet ab epiſcoporum decretis. 171
Arbitri proprie non dicuntur epiſcopi. 180
Archondes qui fuerint apud veteres. 10
Archon apud Scripturam, quid ſignificet. 10
Archon dicitur epiſcopus in eccleſia. 181
Archon aliorum Apoſtolorum dictus eſt Petrus. 10
Ariani armis ſuam hæreſim tuebantur. 113
Arietum filij fideles dicuntur. 162
Arma materialia famulantur eccleſiæ. 89. 90
Arma eccleſiæ temporalia non ſunt infirma aut imbecillia. 41
Arma ſacerdotum cur lachrymę dicantur. 98
Arma neceſſaria ſunt eccleſiæ, ne aduerſarij armis veritatem impugnent. 113
Armis debent vrbes muniri. 111
Arma ante fores eccleſiæ deponebantur ab Imperatoribus. 97
Armis defendendam eſſe eccleſiam docuit Leo nonus. 100
Armatos habere cuſtodes, Pauli exemplo licet. 114
Armata militum cuſtodia neceſſaria eſt Pontifici. 98
Auaritia maxima damna intulit in eccleſiam. 57
Auari epiſcopi nihil vtilitatis conferunt eccleſiæ. 119
Auari ſacerdotes quibus conferantur ab Eſaia. 119
Auxentius hæreticus armis ſe defendebat. 112

B

B*Abylas manum in pectus Imperatoris impegit.* 139
Baculares hæretici qui ſint. 108
Baculus denotat poteſtatem paſcendi gregem. 76
Baculo non vtitur Romanus Pontifex. 76
Baculo recuruo vtuntur epiſcopi. 76
Baculo B. Petri ſuſcitatus Maternus. 77
Baculum in manu deferebant epiſcopi iter agentes. 78
Baculus tranſmittebatur excommunicatis in ſignum abſolutionis. 78
Baculi paſtoralis S. Petri elegans hiſtoria. 77
Baculus S. Petri Coloniæ & Treueris ſeruatur. 78
Baculum portat Papa in ſola Treuerenſi diœceſi. 78
Baculi vice Papa ferulam deferebat. 78
Baculum paſtoralem accipit Patriarcha Conſtantinopol. ex manu Imperat. 79
Baculum capiebat olim Patriarcha e manu epiſcopi Heraclea. 79
Baſilij lenitas & manſuetudo. 60
Baſilius Vrbis præſide ſuperior dictus. 128
Batterium quid ſit. 77

Bellum

Bellum gerere pro patria & eccleſiæ libertate, ſacerdotibus licere. 90
& 91
Bellorum cauſa tributa imponuntur. 134
Bona eccleſiæ diſſipāda nō ſunt. 140
Bona eccleſiæ qui diſſipāt, a Deo grauiter etiam in hoc mundo plectūtur. 141
Bona eccleſię nihil debent Regibus. 130
Bona eccleſię à regibus propria autoritate vendi non poſſunt. 149
Bona eccleſiæ bellorum cauſa inſtituta non ſunt. 149
Βασιλεύειν quid ſignificet. 5

C

Cadauer fœtidum dicitur, qui recedit à Romana eccleſia. 74. 75
καθὰ quid ſignificet apud ſcripturā. 119. 120
Caluinus eccleſiam ſubditam eſſe principibus falſo contendit. 126
Caput populi ſacerdotes dicuntur ab Eſaia. 151
Carceres in eccleſia inſtituti. 208
Carceres inſtituti ab Eugenio. 209
Cardinales iure virga argentea deducuntur. 81
Cardinales ampliſſimas domos habitare debent. 81. 82
Cardinalis Henricus milites conſcripſit in Bohæmos. 91
Carolus princeps, ob eccleſiæ bona diſtracta, æternaliter condemnatus. 140. 141
Carolus Magnus vindicat iniurias Leoni papæ illatas. 100
Cauda populi ſunt reliqui à ſacerdotibus. 151
Cauſæ eccleſiaſticæ à ſolis epiſcopis terminandæ. 140
Cauſſæ ſęculares tractari debent ab epiſcopis. 169
Cenſores qualem iuriſdictionem habuerint. 129
Centuriones militum, vitem manu geſtabant. 81

Chriſtus.

Vt homini regnum mundi à patre ei tributum. 8
Vt homo non ſolum merito redemptionis, ſed etiā dono patris Rex mundi fuit. 8
Rex conſtitutus a patre ad tyrannidem ſæcularium depellendam. 8
Regit in virga ferrea. 8. & 9
Eius poteſtas ex regēdi voce deduci tur. 12
Filius maſculus dicitur à Ioanne. 14
Gladio ſuper femur accingitur. 14
Poteſtatem quam habet, Apoſtolis contulit. 15
Quam poteſtatem eccleſiæ contulerit. 15
Illius regnum duplex, diuinum & humanum. 16
Temporalem dignitatem Apoſtolis contulit. 16
Cur affirmauerit regnum ſuum non eſſe de hoc mūdo, & quid hæc verba ſignificent. 51
Præfuit ſynodo Nicęna. 199
Ementes & vendentes eiecit. 184
Eius thronus ſuper domum Dauid conſtitutus dicitur.

Here-

Hæreditatem inter fratres non diuiſit, vt auaritiam damnaret, non iudiciariam poteſtatem. 165
Eſt lapis ſine manibus exciſus. 34
Chriſtiani olim in communem arcã pecuniam conferebant. 133
Chriſtiani pro ſalute Principum orabant. 144
Chriſtiani quonam pacto litigare poſſint. 163
Chriſtianorum regna profana non ſunt, nec de ijs abſolute Reges diſponere poſſunt. 164
Chriſtianorum reſpublica ſimul & à Rege & à ſacerdote gubernari debet. 174
Chriſtiani fratres dicuntur. 177
Cinguli depoſitio militaris pœna. 109.
Cinguli depoſitio ab eccleſia inflicta. 208
Circumcellionum temeritas deſcribitur. 113
Citationes vnde originem habuere. 194.
Ciuilia inſtituta Reipublicæ, debent examinare epiſcopi. 167
Ciuilis & eccleſiaſtica adminiſtratio ex ſui natura non repugnant, quin in eodem exiſtere poſſint. 168.
Clerici à ſęcularibus puniri non poſſunt. 145
Clerici omnia miniſteria eccleſiæ exercebant. 107
Clericorum exercitus conſcriptus apud Anglos. 190
Clericis quæ negotia permiſſa, quæ prohibita. 188. 189
Conciliorum auctoritas vnde. 199
Conciliorum conuocatio ſpectat ad Papam. 74
Confeſſio ſacramentalis quando adhibita. 199
Conſcientię vox quid ſignificet apud Paulum. 145
Cõſilia, præcepta, & permiſſa pro tẽporum diuerſitate mutata. 85
Conſtantinus Imperator multa priuilegia eccleſiæ contulit. 170
Conſtantinus cur ea decreta ſanciuerit, quæ erant ab Apoſtolis ſancita. 171
Conſtantinus hæreticorum cauſſas retulit ad Siluestrum. 171
Conſtantinus nihil ſine patrũ aſſenſu ſtatuit in eccleſia. 184
Conſtãtinus cur executionem rerum retulit ad magiſtratus. 187
Conſtantius Arianus eccleſiam inuadebat. 124
Conſtantius multis rationibus falſo ſe tuebatur. 124
Conſules P. R. qualem habuerint poteſtatem. 179
Copiatæ qui dicantur. 106
Correctio fraterna quo pacto fieri debeat. 193
Correctio quì fiat. 193. 198
In correctione quæ ſeruanda. 196
Cuſtodia quid ſignificet. 96
Cuſtodia, finis eſt tyranni. 111

D

Dauidis regno ſuccedunt Pontifices Romani. 52
Dauidis domus ab epiſcopis indicatur. 162
Decani qui dicantur. 106
Decanica quæ fuerit. 106
Defenſio ſui ipſius non eſt ex Euangelio prohibita. 110
Defenſores eccleſiæ qui dicantur, & quæ

quæ eorum poteſtas. 166
Diaconus legum cuſtos quis. 183
Diaconus Aaroni ſimilis, epiſcopus Moyſi. 80
Diaconi olim cuſtodiebant epiſcopos. 103
Dictatores P. R. ſummam habebant auctoritatem. 180
Diſpenſatio ſiue diſpoſitio œconomia dicitur. 55
Diſpenſationis ratione variè vtitur Eccleſia. 168
Diuina Imperatori ſubiecta nõ ſunt. 138.
Dominari quid ſignificet in ſcriptura. 119
Dominatus quando à ſeruis expelli poſſit. 63
Drachma perdita ille cenſetur, qui recedit ab eccleſia Romana. 74
Duo vel tres quid ſignificent. 199
Dure apud Paulum quid ſignificet. 68.
Dynaſtia quid ſit. 182

E

Eccleſia

Catholica eſt omnium Rerumpub. præſtantiſſima. 2
Vt firma conſiſteret, habet ſummum caput, ad bonos in officio continendos, & malos puniendos. 3
Habet omnium rerum ſufficientiã. 2
Habet virgam ferream à Chriſto tributam. 15
Collata eſt ei poteſtas à Chriſto, neceſſaria ad ſui gubernationẽ. 15
Imperiũ eius aduerſus reges ex pſalmo 2. colligitur ab Arnobio. 22
Firmitas, eiuſque regia poteſtas ex Michæa colligitur. 26
Petri auctoritate firma conſiſtit. 26
Temporales vires ei collatæ. 28
Regit in virga ferrea. 28
Romana omnibus principibus iura confert. 28
Romana habet principatum Imperij temporalis. 28 34
Eſt in republica vt eam ſeruet. 35.
Eſt Chriſti imperium. 36
Quo pacto mederi ſoleat malis. 44
Regnum eius ex ſe firmum eſt. 32
Regnum illius diſſimile à Regnis terrenis. 33
Regnum eius à ſe ipſos originem habet. 31
Eius magiſtratibus ille honor deferendus eſt, qui Regibus. 30
Monarchiâ illius imperium Romanum dicitur. 34
Habet robuſtiſſimas vires, ad hoſtes deturbandos. 47
Magiſtratus eius varie appellatur. 128.
Omnia regna mala contriuit. 48
Nõ ſolum ſpirituali gladio, ſed etiam materiali deſtruere poteſt regna peſſima. 49
Seruat imperium. 51
Mater eſt imperialium ſceptrorum. 51.
Eſt coniunx Chriſti. 48
Eſt lapis ſine manibus, quo regna ſubuertuntur. 48
Redditus eius ab omni tributo ſunt liberi. 131
Nomen eius quid ſignificet. 199
Vexanda non eſt. 140
Secularibus tradenda non eſt. 138
Si enormiter lædatur, tributa ei nõ imponuntur. 150
Imperium eius quo modo voluntarium dicatur. 117

Senatum repreſentat. 180
Eius conſuetudo à Regibus perturbari non debet. 181
Illius præfectura variis nominibus donatur. 181
Nomen eius paſtorem & ſynodum ſignificat. 198
Eccleſiaſtica dignitas maieſtas appellatur à Petro. 129
Eccleſiaſtici an quatenus vaſalli ſunt, Regibus ſubiecti eſſe dicentur. 135
Eccleſiaſticæ res à ſolis eccleſiaſticis præſcribendæ. 140
Eccleſiaſtici pro libertate eccleſiæ ſeipſos Regibus debent opponere. 138.
Epiphanius iudicabat cauſſas ſeculares. 167

Epiſcopi

Regum & Imperatorum dicuntur patres. 65
Summam auctoritatem cum benignitate coniungere debent. 65
Eorum thronus ſuper domum Dauid. 162
Non habent minorem facultatem quam Elias aut Apoſtoli. 67
Vtuntur baculo recuruo. 76
Eorum electio ad Pōtificem ſpectat. 74.
Copias duxerunt armatorum. 90
Cruciare reos poſſunt & virgarum pulſatione caſtigare. 102
Famulitij multitudine ſtipari debēt. 103.
Arma detulerunt. 103
Domini temporales gladium habent materialem. 107.108
Nomen explicatum. 115
Cogere debent impios. 117
Bellum parare qui debeant. 118
Paulus illis tribuit ſæcularium cauſſarum cognitionē. 162.168.163
Inſignes, in tractandis ſæcularibus cauſis. 169
Non ſolum animis ſed etiam corpōribus præſident. 170
Ex ſuo muuere cauſſas oppreſſorum iudicant. 171
Eorum iudicia qui contemnunt, pœnis temporalibus caſtigātur. 172 177.
Oppreſſam populi libertatem tuentur. 172
Tenentur Regibus aſſiſtere, & Papæ obedire. 174
Non ſunt domini. 120.121
Qui fiant typus exemplarque omnium. 121
Debent eſſe in gubernando varij. 121
Quando graues, quando leues eſſe debent. 122
Eorum dignitas præſtantior regali. 127.
Regibus ſuperiores. 148
An babeant executionem. 155
Maiorem quam ſacerdotes vetere poteſtatem habent. 161
Omnibus magiſtratibus ſuperiores. 137.
Eis ſubijci præſidij loco eſt. 137
Licet eis detrahere Imperatoribus diademata. 139
Pati non debent aliquid ex ſua dignitate detrahi. 137.139
Hæreticos reges è gradu deiiciunt. 178.
Eorum iuriſdictio qualis. 183
Conſulibus ſimiles. 180
Liberam referendarum rerum iuriſdictionem habent. 181
Sunt anima Regni. 181
Leges ferre poſſunt. 181

INDEX.

Sunt tanquam claſsium duces, vel tribuni militares. 182
Adminiſtrationem rerũ habẽt. 183
Nunquã auerterunt populũ ab obedientia Catholicorũ regũ. 46.47
Debent inferiores conſulere. 198
Subditos quaſi manibus tenent. 183
Per ſe ipſos verberare poſſunt. 184
Epiſcopium quid ſit. 107
Eugenius 111. *hoſtes eccleſię coercuit.* 100
Euſebius ẽpus arma geſtauit. 103
Præter Excommunicationem in eccleſia ſunt pœnę temporales conſtitutę. 207.202.203.
Excõicatis ſi non emendantur temporalis deprecabatur mors. 203
Excõicati ſatanę tradebantur. 204
Excommunicati in febres & morbos incurrebant. 205
Excommunicatorum corpora ſepulta diſſolui non poſſunt. 206
Excommunicatorum corpora mortua a dæmonibus raptabãtur. 207
Executio quot modis dicatur. 183
Executionem quo pacto habeãt epiſcopi. 183
Executionem contulerunt epiſcopi Imperatoribus. 183

F

Familiam armatam deferebant epiſcopi. 103
Familia Chriſti naui magnę ſimilis. 182.
Fidelis ſeruus quis dicatur. 182
Fides clientelaris a ſacerdotibus datur principibus. 130
Fiſcus principum eccleſię bonis augeri non debet. 143
Flagellari poſſunt clerici. 209
Franciſci Duareni errores. 93.108.
Fratres qui dicantur. 177
Fredericus primus de gladij poteſtate male ſenſit. 91

G

Gallorum ſacerdotes cauſſas dirimebant. 156
Gennadius imprecatus eſt mortẽ preſbytero, & ſubſecuta eſt. 203
Germanorum ſacerdotes ius habebãt imperandi. 156.157
Gladij geſtatio quãdo prohibita Apoſtolis & quando permiſſa. 82.86.
Gladius non fuit depulſus e manibus Petri. 83
Gladij vſus prohibitus eſt Petro, ne mortem Chriſti impediret. 83.84
Gladij in cęna imperati apoſtolis, vt defenſionem aliquam fieri poſſe conſtaret. 85
Gladij geſtatio Apoſtolis iuſſa. 85
Gladij poteſtas ſemper fuit penes Petrum, ſed non ſemper eius vſus. 87.
Gladio materiali aliquando vſus eſt Petrus. 88
Gladium eſſe in Petri poteſtate negari non poteſt. 88
Gladij vindicta prohibita eſt. 89
Gladius materialis ad nutum Petri educitur. 89
Gladius materialis non eſt in eccleſia tantum ratione finis. 92
Gladij duo, duas vitas ſignificant. 92.
Gladij duo ex ſenſu literali colliguntur. 92
Gladios nudos deferebat Hadrianus Papa primus. 92
Gothi ſuos reges occidebant. 247
Gregorius V. Vrbe excluſus per vim. 100.
Gregorius VII. vrbe obſeſſus. 100

Gregorius Taumaturgus indices miſit ad agros reſtituendos. 167.
Grex qui paſcendus ſit. 106
Gubernatio ſine diſciplina eſſe non poteſt. 7

H

HAdrianus Imp. & Cæſar Auguſt. in gubernando varij. 122.
Hadrianus Aug. ſine armis templū ingreſſus. 98
Hæretici Imperatores eccleſiaſticos viros ſibi ſubijcere contendebant. 125.
Hæretici negant Pontificem Rom. cuſtodiri poſſe lictoribus. 94
Hæreticorum mores deſcripti. 111
Hæretici armis hęreſes defendebant. 112.
Hæreticorū crudelitas inſignis. 112
Hæretici non poſſunt imperare Catholicis. 176
Hæretici reges priuantur regno. 176
Hæreticis principibus non ſunt ſoluenda vectigalia. 177
Hæretici quo pacto commonēdi. 195
Hæretici quo pacto inquieti, & inordinate ambulantes dicantur. 195
Hæretici omnes eccleſiæ ordines perturbant. 196
Hęreſes oriuntur ex contemptu ſacerdotum. 3
Hebræi ſacerdotes quam iuriſdictionem habuerunt. 159
Hebręorum ſacerdotes inter ſpiritualia & temporalia diiudicabant. 160.
Hebræorum ſacerdotes iudices erant vna cum regibus. 160
Hebræi poſt excidium habuerunt arbitros ſuarum rerum ex Imperatorum auctoritate. 180
Heluetij defenſores dicti eccleſiæ. 108.
Henricus IIII. gladium materialem tollit à Papa. 91
Henricus IIII. male ſe Iuliani exemplo defendit. 179
Hieremiæ locus cap. 1. de Chriſto & Apoſtolis interpretatus. 44
Hieronymus de Valentiniani nouella conqueritur. 190
Hiſpaniæ reges epiſcoporum auctoritate ſeruati. 147

I

IMperatores quibus rationibus eccleſiā inuadere iactent. 125. 126
Imperatores ſine armis templa ingrediebantur. 97
Imperatores alimenta & vaſa eccleſiis contulerunt. 133
Imperatores Gręci ſimplices patriarchas eligebant, vt facilius de ſtatu eccleſię diſponerent. 152
Imperator ſi eccleſiam contemnit, nō poteſt vti eius priuilegiis. 137
Imperator Numerianus ab Epiſcopo pugno ſummotus. 139
Imperij iura conferri ab eccleſia Romana ægre ferunt hæretici. 35
Imperium Romanum æternū eſt Eccleſiæ cauſa. 34
Imperium Romanorū dictum eſt Libanus. 35
Imperium Romanum non ab eccleſia comminutum, ſed potius in incolumitatem ſeruatum. 50
Imperij Romani ruinæ, ſcelera & crudelitas. 51
Imperia propter pietatē ab Eccleſia protecta, propter ſcelera diſſipata. 53
Imperium Iudæorum & Græcorum ob impietatem deſtructa. 53

Impe-

Imperium Græcorum ob malam electionem Patriarcharum labi cœpit. 152
Imperij iura conferri ab Eccleſia hæretici ęgre ferunt. 35
Imperium Romanorum ab oriente in occidentem tranſlatum. 53
Immunitas qualis eccleſiaſticis conueniat. 134
Ioannes X. interemptus. 100
Ioannes XV. vrbe expulſus. 100
Ioſephus Iudæus impudenter locum ſcripturæ interpretatus. 9
Iouinianus negat ſe poſſe imperare hæreticis. 178
Iudęi à S. Cyrillo Alexandrino eiecti. 104
Iudicare pernotationem quid. 180
Iudicum primicerij. 183
Iudices pedanei qui. 180
Iulianus ſine armis duces Rerumpub. ad templa accedere præſcripſit. 98
Iuliani ſcelus quod. 108
Iuliani cauillationes malitioſæ, et impoſturæ. 110
Iulianus opportuna ratione ab epiſcopis depoſitus non eſt. 179
Ius in manu quid. 183
Iuriſdictionem eccleſiæ infirmant recentiores. 115
Iuriſdictio ſacerdotũ circa quæ. 158
Iuriſdictionis variæ partes. 183
Iuſtinianus multa ad libertatem Eccleſiæ ſanciuit. 171

L

Legatus proconſulis quam iuriſdictionem habet. 180
Lenitas quo tempore exercenda ſit. 118.
Leo III. immerito male affectus. 100.
Leontius epiſcopos quod Regi multa concederent reprehendit. 140
Lex, neceſſitas, & cõſuetudo, tribuit iuriſdictionem. 154
Leges ſæculares latæ, ſi auctoritas epiſcoporum accedat, a clericis ſeruari debent. 145
Lictores qui dicantur apud ſcripturam. 95
Lictores a magiſtratibus differunt. 101.
Lictores viatores appellantur. 101
Lictores a ſacerdote ſubmouebant ſcortum. 101
Litigare quomodo fuerit licitum Chriſtianis. 163
Litigare licet non ſit perfectionis poſſunt id legitime Chriſtiani facere. 163
Litigantium ſtrepitus dirimere Epiſcopis competebat. 166
Ludouicus Imp. cingulo militaris exutus ab Epiſcopis. 209

M

Magiſtratus veteres virgam manu geſtabant. 81
Magiſtratus militares in veteri lege qui fuerint. 95
Maiores debent expectare minorũ aſſenſum, vt res melius fiant. 63
Manſuetudinis ſpiritus quis. 118
Manus mortuæ obligatio quì debeatur Regibus. 130.131
Marco Euangeliſtę Aegyptum proficiſcenti, diuiſus eſt nilus. 29
S. Martinus nihil quod eſſet eccleſiæ regibus concedebat. 140
Milites qui eſſent illi, qui defunctorũ corpora ſeruabant. 96
Milites boni neceſſarij eccleſiæ. 114
Milites de ſuo ſtipendio nihil debent Regibus. 131

Milites leuis armaturæ templum ſeruabant. 97
Monachi incorrigibiles ex Baſilio e monaſterio eiiciendi nõ ſunt. 208
Monaſtica incluſio quæ ſit. 209

N

Negotia ſæcularia tractata ab epiſcopis. 162
Negotia ſæcularia quæ fuerint. 168
Notionis & iuriſdictionis diſcrimẽ. 179.
Notionem & non iuriſdictionem habuiſſe epiſcopos aſſerunt recẽſiores. 155
Νυθεσία quid ſignificet. 195
Nutus ſacerdotis quo educi debet gladius, quid ſit. 89

O

Obediendum eſt principibus ſęculi ne impediant Euangelium. 144
Obediendum eſt vt tranquillam vitam habeamus. 144
Oeconomia quid ſit. 55
Oeconomia in verbi diuini prædicatione quã ſeruanda. 55
Operarij & foſarij qui. 106
Otho Imperator militibus nolebat dare bona eccleſiæ. 149
Ouile quid ſit. 116

P

Palatij curatores virgã argenteã manu geſtabant. 81
Parabolani qui fuerint. 103
Parabolanorum virtus in defendendo epiſcopo. 103
Paſcere, ſeuere & cum imperio regere, vel publicum magiſtratum gerere ſignificat. 9.10.11.& 12
Paſcere quandoque deſtruere ſignificat. 13
Paſcere benigne qui debeant. 116
Paſcere coactè non decet. 116
Paſcendi munus quid denotet. 6.7
Paſtor animaduerſione vti debet. 6. & 7.
Paſtorum & regum opera ſimilia. 12.
Patriarcha Conſtantinopolitanus baculum capit e manu Imperatoris. 79.
Patriarchalem eccleſiam Conſtantinopolitanam vexauit Phocas Imperator. 79
Patrimonium eccleſiæ nullus poteſt eripere. 130
Patrono pro recuperatione rerũ ſuarum emolumenta dari nõ debent. 150.
Paulus negotiorũ ſęcularium iudex non fuit. 163
Paulus quo pacto omnia omnibus factus eſſe dicatur. 56
Paulus noluit vti imperio cum poſſet. 57
Paulus benignitate more nutricum vti voluit. 58
Paulus auctoritatem ſuam cũ pſeudoapoſtolis contulit. 58
Paulus cur maluit imperare quam cogere. 60
Pauli manſuetudinem epiſcopi imitari debent. 60
Paulus Philemonẽ cogere poterat. 63.
Paulus ſeruum retinere potuit. 62
Paulo certa prouincia conſtituta, non tamen Petro. 72
Paulus princeps populi dictis ab Origene. 82
Pecuniæ et redditus eccleſiæ in quos vſus diſtribuenda. 133
Petrus ſummam in paſcendo poteſtatem habuit. 5

Petrus aliter agnos aliter oues debuit paſcere. 5
Petri dignitas ex paſcendi voce colligitur. 11
Petro ſoli paſtoris nomẽ impoſitũ. 12
Petro ſoli data poteſtas in fonte. 12
Petro a Chriſto data poteſtas temporalis. 16. & 23
Petro collatam poteſtatem immutandi regna, quã Hieremiæ competebat. 46
Petri ingreſſus in Vrbẽ deſcript⁹. 27
Petri virga cũ Moyſi collata. 29. 81
Petrus præ aliis apoſtolis maiorem poteſtatem habuit. 69
Petrus paſtorum princeps dictus, 70 71.
Petrus cathedræ inchoator. 71
Petro nulla certa prouincia decreta. 72.
Petrus nõ vnius populi, ſed omnium populorum princeps. 73
Petri auctoritate omnia in eccleſia præſcripta fuiſſe. 74
Petro virga conceſſa, qua vbique vteretur. 76
Petrus qui dicatur Moyſi ſucceſſiſſe. 80.
Petri virga duplex munus præſtabat. 81
Petrus apoſtolorum caput. 82
Petro prohibitum eſt gladium vindicandi animo educere. 89
Philo Iudæus ſæpe allucinatus. 61
Philothomus martyr militibus ſeptus iudicabat. 111
Pipinus Rex ob villam ab eccleſia diſtractam a S. Remigio cæſus. 141
Pœnæ publicæ quæ. 192
Pœnarum genera in eccleſia inſtituta. 108
ποίμαινε quid ſignificet, 7
Pontifex maximus orbis rector. 52
Pontifex max. qui dicatur. 158
Pontificis max. iuriſdictio. 158
Pontificum virga cur floruerit. 82
Pontifex max. armis ſeptus omnia moderate tractat. 113
Pontifex Romanus pœnas temporales regibus imponit. 183
Pontificatu cur initiarentur Imperatores. 158
Populi pro ſalute epĩ certabant. 103
Poteſtas paſcẽdi diuerſis vocibus expreſſa. 5
Poteſtas temporalis nomine virgæ ferreæ explicata. 17. 18
Poteſtas tẽporalis eccleſiæ ex Apocalypſi conſtat. 18
Poteſtas eccleſiæ collata non ſolum ſpiritualis, ſed temporalis. 28
Poteſtatem aſſecuta eſt eccleſia immutandi regna. 44
Poteſtas eccleſiæ vnde colligatur. 23
Prędia eccleſiæ tributis libera. 130
Prætorium Latina vox in Euangelio. 96
Princeps in gubernando varius eſſe debet. 122
Principum vitia crudelitate teguntur. 120
Princeps collatus cũ epiſcopo ei inferior eſt. 61
Principat⁹ a Prophetis pdictus multis in locis eccleſiæ auctoritatem exprimebat. 26. 27
Priuati homines multa eccleſiæ bona dederunt. 133
Protoſpatarij qui fuerint. 102
Pſeudo apoſtolorum vitia enumerãtur a Paulo. 59

R

Redarguendi qui ſint, & qui obſecrandi. 168

Regere in virga ferrea quid ſit. 9
Regium nomen femori Chriſti inſcriptum quid ſignificet. 15
Regia poteſtas collata principibus ad Eccleſię præſidium. 90
Regnum Aragonum ſub protectione eccleſiæ Rom. ſuſceptum ab Vrbano II. 147.148
Regnorum vaſtitas ex contemptu eccleſiæ, & eius tranſgreſſione. 40
Regnorum commutatio propter iniuſtitias fieri ſolet. 42.
Regna commutandi prophetæ, ſacerdotes, & apoſtoli, poteſtatem habuere. 43
Regna propter peccata deſtructa, ob pietatem firmata. 44
Regna ab eccleſia ſubuerſa fuiſſe, nō ſolum ſpirituali, ſed materiali gladio. 49
Regna terrena & cœleſtia Petro commiſſa. 91
Regnum Dauid per Chriſtum tranſlatum eſt ad Pontif ſummos. 52
Reſpublicæ cuius rei cauſa inſtitutæ. 2
Reſpub. quæ optima. 2
Reſpublica bene conſtituta hoſtes acerrimos propellere poteſt. 81.
Rex conſtitui debet ex fratribus noſtris. 177
Rex alienigena, & qui non ſit Chriſtianus non poteſt imperare Chriſtianis. 177
Regis & epiſcopi diſcrimen. 170
Reges inſtituti vt reprimerēt eos qui ſacerdotibus non parebant. 173. & 175.
Regibus gladij vis tribuitur a ſacerdotibus. 175
Reges hæretici iure a Pōtifice detur bantur regno. 176
Reges pro ſuo arbitrio gubernare, nec tributa imponere poſſunt, niſi ex auctoritate eccleſię. 176
Regi imperanti contra bonos mores & fidem non eſt parendum. 135
Regi hęretico ſe opponere non eſt infidelitatis, ſed fidelitas ſummę. 136.
Reges ex ſuo munere regio, nunquā eccleſiæ imperâſſe. 151
Reges quatenus prophetę de rebus ſacris diſponebant. 151
Reges præmonitores & nutricij ſacerdotum, non domini. 152
Reges nō poſſunt vltra modum ſuam poteſtatem promouere. 139
Reges non debent ſe eccleſiaſticis immiſcere. 139
Reges ad præſidium populi electi. 160.
Reges ſui præſidij cauſa, multa bona eccleſiæ contulerunt. 147
Reges cōtumelia afficiendi non ſunt. 146.
Regibus infidelibus obediebant ſacerdotes, vt eos ad fidem humilitate prouocarent. 146
Regibus temere imperantibus, eccleſiaſtici parere non debent. 146
Regi ſi auferat bona ab eccleſia, regnum auferet Deus. 142
Regum & regnorum interitus ob eccleſię bona diſtracta. 142
Rex Britonum ob damna illata in eccleſiam occiſus eſt a S. Maurelione. 141
Romanę voces ſępe in Euangelio admiſſę ſunt. 96
Romanorum rex iurat nūquam cum infidelibus habiturum ſocietatem. 178.
Rom. Pontifex negotia ſęcularia per

tractare debet, cum olim ea pertractaret. 169
Rom. Pontif. omnia tum ſpiritualia, tum temporalia commiſſa. 170
Romanorum imperium ab eccleſia contritum, ob illorum ſcelera qui illam impugnabant. 48
Romanum imperium minui cœpit, Apoſtolis martyrio in Vrbe coronatis. 52.
Rudes in fide benigne paſcendi ſunt. 117.

S.

SAcerdotalis præſtantia quæ ſit. 178.
Sacerdotalis poteſtas magis a Deo eſt, quàm temporalis. 137
Sacerdotes de materiali gladij poteſtate diſponere debent. 90
Sacerdotes cuſtodiæ templi præerant. 97
Sacerdotes olim armorum præſidio non egebant. 97
Sacerdotes ex ſuis decimis nihil debent principibus. 130
Sacerdotes nõ ſubſunt regibus. 130
Sacerdotes liberi ſunt. 132
Sacerdotes ex ſuis rebus temporalibus tributa perſoluunt, non ex eccleſiæ redditibus. 132
Sacerdotes a bellis immunes. 133
Sacerdotes ab illis tributis immunes quæ bellorum cauſa imponuntur. 133.
Sacerdotes ſimplices eligendi non ſunt. 152
Sacerdotes populi Ro. quam iuriſdictionem haberent. 154
Sacerdotes populi Roma. cauſas ad ſenatum non referebant. 157
Sacerdotes Romanorum priuabant conſules dignitate. 158
Sacerdotes in Reipub. negotijs iuriſdictionem habebant. 158
Sacerdotes Romanorum quæ pertractarent. 158
Sacerdotes veteres de criminibus iudicabant. 161
Sacerdotes veteres in grauioribus cauſis preſcribebãt ſententiã 161
Sacerdotes idolorum minorẽ habebant in ſuis rebus auctoritatẽ quã Sacerdotes Chriſti. 139
Sacerdotes aliorum tyrannidem inſectari poſſunt. 178
Sacerdotium regno ſublimius. 178
Sacerdotium eſt anima Reip. cum eo ſubuerſo Reip. ſequatur interitus. 173. 174
Sæcularium rerum poteſtas magis reſidet penes Epiſcopos, quam Imperatorem. 139
Sęcularium iudicium exercebat Gregorius Thaumaturgus. 166
Sæcularia negotia tractauit Sineſius 168.
Sæculares cauſas tractauit Pontifex. 169
Sęcularia negocia varia fuerunt. 187. 188
Sagiones ſiue ſaiones qui ſint. 101
Sancius Rex Aragonum publicam agit pęnitẽtiam ob malum vſum bonorum eccleſiæ. 143
Sancius Aragoniæ regnum Romæ eccleſiæ tributarium fecit. 147
Sancti qui dicantur, apud quos litigari poteſt. 165
Sanctum & iuſtum differunt. 63
Satanæ traditio quæ fuerit. 204
Satellitibus ſtipari videtur tyrannicum, ſed non eſt. 109. 110
Satellitio ẽpi hæretici vſi ſunt. 109
Saturninus qui primus gladium in Chri-

Chriſtianos egit lumina amiſit. 41
Scholaſtici ex foro qui. 107
Scribæ qui fuerint. 96
Senes orandi & non increpandi. 64
Sergius Papa commendat populum ob ſui defenſionem. 99
Sermo triplex, exhortatorius, pręceptorius, conſolatorius. 56
Seruus quando poßit a ſe immitem dominatum expellere. 63
Serui quando pietatis cauſſa libertatem aſſequuntur. 64.65
Serui Dei non timent peßimas poteſtates. 138
Seuerian⁹ Papa milites cõuocat. 99
Signa & argumenta quomodo differant. 111
Sineſius epũs armis ſeptus. 103
Slauij ſacerdotes maiores regibus. 157.
Societas ineunda non eſt cum hoſte religionis. 178
Sozomenus hæreticus. 105. 190
Stephanus IX. vulneribus affectus. 100.
Sũmotores qui ſint apud Senecã. 101
Sudariũ latina vox in Euãgelio. 96
Synodus quo pacto peccatores corrigebat 200.201
Synodales teſtes qui ſint. 200
In ſynodis quę olim tractarẽtur. 200

T

Templum cuſtodia munitum fuiſſe. 95
Teſtimonium eccleſiaſticum quod dicatur. 103
Theodoſius relictis armis ingrediebatur Eccleſiam. 97
Thomas Cantuarienſis libertatis Eccleſiæ defenſor. 135
Τύπος quid ſignificet. 121
Tormenta pro Eccleſiæ libertate perferenda. 137
Tonſurandi initium apud laicos vnde originem duxerit. 107
Tribunalia in Eccleſia conſtituta ſuper domum Dauid. 162
Tribunalia Eccleſiæ quę dicantur. 184
Tributa tempore neceßitatis quę exigenda ſint a clericis. 134
Tributa non debet ſoluere eccleſia. 149.
Tributa ſoluit eccleſia, ſi cum ea conditione prædia ipſi fuerint collata. 149
Tributa bellorum tempore moderate perſolui poſſunt ab eccleſiaſticis. 149.
Tributa ab eccleſia exigi poſſunt, ſi ipſa enormiter non lædatur. 150
Tributa ſine auctoritate Pontificis exigi non poſſunt. 149.150
Tributis eccleſiæ qui abutitur, grauiter peccat. 150
Turris Antonia quæ fuerit. 95

V

Valentiniani nouellæ eccleſiæ libertatem infirmant. 189.
Valentinianus negat auxilium fratri hæretico. 178
Vaſa Deo ſacra tempore belli comminuenda non ſunt. 149.150
Verbum Regis quod dicatur. 160
Verbum Dei quod ſit. 160
Vicedomini qui. 107
Victualia quæ dicantur 188
Vindicta priuata prohibita, non publica. 109
Vindicta Dei ſæpe non tarda, ſed pręſens videtur. 53
Violenta emendatio parum vtilitatis habere videtur. 119
Virga duplex directionis & punitionis.

tionis. 19

Virga triplex Chriſto a patre collata, diſciplinæ, imperij & ſummę poteſtatis. 19

Virga duplex ex Nazianzeno, vna quę percutit, altera quæ ſecat. 21

Virga a principib. deferri debet. 82

Virgam ne geſtarent in via pręceptum Apoſtolis, & eis permiſſum. 23.24

Virga Petri cum Moyſi collata duplex munus exercebat. 81

Virgam deferebant magiſtratus & Centuriones. 81

Virgam minatur Paulus. 82

Virga liberis adhibebatur hominibus. 102

Virgarij qui dicantur. 101

Vtopienſes ſacerdotes omnibus præſunt. 157

Vultus illuminatio quid ſit apud ſcripturam. 47

FINIS.

LECTORI.

CVm feſtinantius ob meum ſubitum ab Vrbe diſceſſum Typographi editionem maturarent, multi errores in paginarum ſupputatione, aliisq; in locis exciderunt, quos vix in tam celeri editionis curſu emendare potui. Tu interim quidquid a me profectum fuerit, boni conſule, donec laxato paululum animo, & tibi & mihi hac in parte poſſim ſatisfacere. *Vale.*

Errata.	*Correcta.*	*Errata.*	*Correcta.*
Pag. 4. Michęas cap.3.	cap.5.	Pag.69 choriphęus.	coryphęus.
5. quid.	quod.	67. ille.	illę.
12. iteſu m.	iterum.	74. Hadriaſno.	Hadriano.
13. ex lib.numer.	cap.21.	74. congreges.	congręgcs.
18. iudicu m.	iudicium.	75. apertc.	aperte.
25. Romaua.	Romana.	78. paſtorale.	paſtoralem.
pag.28.	26.	78. datriarchali.	patriarchali.
pag.29.	27.	79. Herclex.	Heraclex.
26. Caldæus.	Chaldæus.	80. fignificat.	ſignificat.
27. laſceſciuit.	laceſſiuit.	82. ſaccrdotum.	ſacerdotium.
29. poeſſt.	poſſet.	83. argeretur.	vrgeretur.
33. Caldæa.	Chaldæa.	83. mille.	millia.
33. adhæreicunt.	adhæreſcunt.	84. ſandalum.	ſcandalum.
41. Herminians.	Herminianus.	85. promiſſum.	permiſſum.
41. captiuant.	captiuat.	94. quibuſque.	quę.
42. ereſacit.	areſacit.	95. militare.	militarem.
44. Anſiranus.	Ancyranus.	95. littores.	lictores.
46. concidi.	concedi.	96. iudices.	adde, eſſent.
46. Bulgororum.	Bulgarorum.	104. pietate.	pietatem.
57. deſortor.	deſertor.	111. πολημικὺν	πολεμικὺν
60 Corinthi.	Corinthij.	116. oppoſitum.	appoſitum.
66. non vetet.	dele, non.	120. Occomenius.	Oecumenius.
67. minus.	minus,	121. Pauli.	Paulus.

Errata.

Errata.	*Correcta.*
122. orreſtionem.	correctionem.
122. omnibns.	omnibus.
123. δόζα.	δόξα.
124. flagitio.	flagitiis.
126. Choppinus.	Coppinus.
127. apertiſſime.	aptiſſime.
132. prȩsbyteri.	presbyteri.
133. eudoxia.	Eudoxia.
139. Arianum ſecutum: ſequutum ſe.	Arianum:
141. Pipinus.	Carolus.
141 Carnotenſis.	Carnutenſis.
141.	145.
142.	146.
146. Appollinaris.	Apollinaris.
146. Indas.	Iudas.
143.	147.
147. Pamphilonenſis.	Pāpilonenſis.
144.	148.
148. ecclefiȩ.	ecclefiȩ
148. Iactenſis.	Iaccenſis.
145.	149.
149. expreſſum eſt	eſt.
149. Luthprando.	Luithprando.

Errata.	*Correcta.*
149. ſaculi.	ſȩculi.
146.	150
147.	151.
151. num. 13.	23
148.	152.
152. erga.	ergo.
152. cū Geraſimo.	cū de Geraſimo.
152. diligendo.	deligendo.
153. Carnotenſe.	Carnutenſe.
161. fore	fori.
168. Carnotenſis.	Carnutenſis.
174. Domine.	Domino.
174. idem.	iidem.
185. & piſcabuntur eos.	adde, poſtea mittam venatores multos & venabuntur eos.
187. primum.	adde, appellant.
188. liber.	libro.
193. diſciplina.	diſciplinam.
194. Ambrobus.	Ambroſius.
197. litigatio.	ligatio.
197. ab alienatum probris,	abalienatum, probris.

BIBLIOTECA

Regeſtum.

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z
A a B b C c D d E e.

Omnes ſunt duerniones, †, & Ee, terniones.



R O M AE
Excudebant Alexander Gardanus, & Franciſcus Coattinus.
M. D. LXXXVI.